

CARNIOLIA ANTIQUA
ET NOVA:

Sive

ANNALES
SACRO-PROFANI
INCLYTI DUCATUS
CARNIOLIÆ,
TOMI PRIMI.
PARS II.

A


*Condito Mundo, usque ad Natalem D. N. JESU CHRISTI
Servatoris Mundi.*

Complectitur gesta, quæ non tantum Carnioliam veterem, sed
& vicinas Regiones concernunt. Pleraque primorum seculorum è sacris
litteris deprompta, perpetuæ Chronologiæ defervient.

AUTHORE,

JOANNE LUDOVICO
SCHÖNLEBEN,

Carniolo LABACENSI SS. Theol. Doctore Pro-
tonotario Apostolico.



L A B A C I,

Typis JOANNIS BAPTISTÆ MAYR, Typographi Inclytæ Provinciæ.
ANNO Christi M. DC. LXXX.

ANNO ÆMONÆ, seu LABACI Conditæ
MM. DCCCIII.



ANNALIUM CARNIOLIÆ
SACROPROPHANORUM.
PARS II.
PROE MIUM.



Annales & Chronologiam qui legis in frontispicio operis, ne puta me simul promittere Historiam, & Chronologiam: separata hæc multum distare non sum nescius. Procurrit Historia liberè, facta & eorum circumstantias rimatur, in id vnum intenta, vt nihil quod ad memoriam gestorum pertinet, prætermittat. Brevissimè Chronologia perstringit: atque adeò quasi negligenter summariam rerum notam exhibet; cum potissima ejus virtus sit; singula, quantum licet, ad certam annorum seriem revocare potiùs quàm enarrare. Mihi mediam inire viam libuit, & tertium quoddam scribendi genus amplecti, quod nostræ ætatis hominibus ferè video arridere: in quo scilicet sic temporum digeritur ratio, vt res gestæ exactius non nihil, quàm in Chronologia, minus tamen accuratè quàm in Historia; & quod celeritati operis servit, absque verborum phaleris proponantur. Longas consultationes, suasorias, hortatorias, invectivas & alias hujusmodi allocutiones, quæ historicis familiares sunt, consultò intermittam. Aliorum is labor esto, quibus plus otij. Et cui bono comminisci, quæ nescias an aliquando dicta? In Jovio id reprehensum, qui Turcarum Tyranni cum Ibraimo Bassa consultationes scriptis suis inseruit, quasi arcano eorum congressui interfuisset. Rebus, quantum satis fuerit, indicatis contentum reor fore Lectorem: quem etiam præmonitum velim me quamvis aliena, & externa vitare decreverim, sæpè tamen strictim, & velut extento indice attingere; vel quia connexa domesticis, vel quia subserviunt filo narrationis, vbi domestica deficiunt. Ea etiam causa fuit, cur exordiri placuerit, ab ipso re-

P R O O E M I U M.

rum exordio, ut nempe veluti filo deduceretur memoria in cognitionem patriæ, & jam inde à primis initijs ejus situm, cultum, populus longo ordine contemplaretur; vicina et jam subinde è vicino prospectans. Stylum porrò limatum, & qualis Historicum deceat hic non require: pluribus scribo; quæ compta sunt ad paucos spectant. Placet, quod non nemo de se professus est: *Exempla meliorum secuti, ipsi Authorum verbis & ore sæpissimè loquimur; fortia, non phalerata probantes. Neque enim ijs sumus, qui periodo phrasium periodum vitæ metiamur, & unâ duntaxat alter à ve lineâ ductâ noctem in somnem ad aram Salaminij Gramatici transigamus: alijs assueti de Repub. literaria, & Religione, si opus sit, emereri stipendiis.* Minus certè periclitatur veritas, quo rigorosius veterum retinetur narratio. Si quæ fortè fufius scripta Lector desideraverit, apud ipsos Authores inveniet, qui idcirco allegantur in margine. Sed en dum calamus jam in Opus procurrat, manibus penè excidit, exemplo C. Plinij Cæcilij Secundi, qui amicorum desiderijs velificans dum condere molitur historiam, in fallo hæret: ità enim de se ad amicum: *Suades ut Historiam scribam, & suades non solus. Multi hoc me sæpè monuerunt: & ego volo; non quia commodè facturum esse confido (id enim temerè credas nisi expertus) sed quia mihi pulchrum in primis videtur, non pati occidere, quibus æternitas debeat, aliorumque famam cum sua extendere.* Et post nonnulla adjungit anxius: *Nunc cogita, quæ potissimum tempora aggrediamur. vetera, & scripta alijs? parata inquisitio, sed onerosa collatio. Intacta & nova? gravis offensa, levis gratia.* Quid ergò mihi *vetus & Nova* scribitur Carniolia? cum veterem legerint, obgannient Zoili *nihil novi*: cum novam evoluerint quasi lippis & tonforibus notam carpent, censuras censuris adjicient, nodos in scirpo quærent: & ne se gratiam debere videantur, simulabunt offensos. Hac omnes Philomusi laboramus mercede. At ego, qui vnum mihi scopum in hoc opere præstitui servire patriæ, ejusque memoriam vindicare ab interitu, licet apud malignos de fama scientiæ & eruditionis periclitari, non dimitto calamum. Iniquum est conterraneos *pati occidere, quibus æternitas debeat.* Procurre igitur calame *Facta est alea.*

Inhof. Præ.
ad lect. Ann.
Hungar.

Plin. secund.
l. 5. Ep. 8.



ANNALES DUCATUS CARNIOLIÆ SACRO-PROPHANI.

PARS II.

ANNUS MUNDICONDITI PRIMUS.

ANTE NATUM CHRISTUM 5506. vt *Chron. Alexand. Raderi.*

- vel 5499. vt *Cuspin. in Chron. Cassiod.*
- vel 5402. vt *Prosper Aquitanus.*
- vel 5198. vt *Hieron. Eusebius. Baron.*
- vel 5195. vt *Sigebertus Gemblac.*
- vel 4192. vt *Marianus Scotus.*
- vel 4089. vt *Genebrardus.*
- vel 4050. vt *Torniellus.*
- vel 4036. vt *Henr. Philippi.*
- vel 3982. vt *Petavius in Ration.*
- vel 3979. vt *Severinus Binius. Not. ad Euseb.*
- vel 3965. vt *Opmerus. Buntingus Mercator.*
- vel 3962. vt *Angelocrator. Funccius*
- vel 3961. vt *Abbas Vrspergensis.*
- vel 3959. vt *Jo. Lucidus.*
- vel 3954. vt *Jo. Georg. Hörvvarth.*
- vel 3951. vt *Herm. Contractus.*
- vel 3949. vt *Dionysius Abbas.*
- vel 3946. vt *Alstedius.*
- vel denique (quem nunc sequor) 4052. vt *Salianns.*

Rdior ab eo, qui rerum omnium exordium est. In principio creavit Deus Cælum & terram: ex hac ad illud formavit hominem, cænum illaturus cælo, si vellet homo, quem post cætera vniversitatis opera produxit compendium vniversitatis. Factus, non genitus primus homo, à Patre, sine Matre, sine generatione, vir à vitæ principio, bonis omnibus cumulatus, Paradisi voluptatis inquilinus, perdidit omnia cum seipsum perdidit in vxore; imò cum illa totam posteritatem. Actus in exilium non nisi exules genuit, à quibus longo ordine descendimus patre

nihilò meliores, qui multoties receptam gratiam prodigimus. Quantum temporis in Paradiso exegerit controversum est. Apud Cæsarium tres opiniones reperiuntur; vna innocentis & felicitis vitæ Adamo tribuit quadraginta dies, altera sex dies, tertia tantum sex horas. Accedit quarta apud Moysen Barcepham de annis triginta & supra: tot nempè, quot servator in mundo egit, vt morbo congrueret medicina, & temporali hominis felicitati, DEI hominis responderet demissio. Hæc postrema opinio longè abest à probabilitate: ea verò, quæ sex dies assignat rationi magis consonat: sed quæ tantum sex

Cæs. Dial. 3. 4. 8.

Moyses Barc. lib. de Parad. p. 1.

septemvè, aut paulò plures vnus diei horas primum hominem in Paradiso moratur, communissima & SS. Patrum autoritate fulta est apud Abulensem, Cornelium, Fevardentium, alios, qui *Cyryllum*, Chrysoftomum, Epiphanium Diodorum Tharsensem, Ephrem, Philoxenum, & plures allegant. Adeò nec primo homini diu esse felici licuit, dum lapsum ad infelicitatem Angelum consultorem audiit, & vanâ maioris scientiæ ambitione in summam Dei præceps ruit ignorantiam. Semper sublimia magnis casibus obnoxia.

ANNUS MUNDI 2.

ANTE CHRISTUM 4051.

Pulsi è Paradiso protoparentes Cainum generant testem perditæ innocentiae, & posteris improbitatis exemplar. Cum hoc genitam sororem, quæ illi adulta nuberet Caimanam, seu Deboram, vti Comestori, & Methodio existimatum, non caret fundamento. Nam primi illi partus (Genebrardo authore ad mentem D. Epiphani) fuere gemini tergemine, & masculus ac fæmina simul nascebantur; inter quos matrimonij nexus nondum esset prohibitus: vt videlicet ex DEI monito terram habitatoribus vacuam replerent. Quare minus veritati consentaneum est, quod refert Comestor ex révelatione quadam Apocrypha S. Methodij, primos parentes non generasse ante annum trigesimum post expulsionem: quin potiùs credibile Cainum cum sorore Caimana initio hujus anni genitum, & sub ejusdem anni finem si non natum, conceptum Abelem, cum esset in parentibus summus naturæ vigor fœcunditati adjunctus.

ANNUS MUNDI 3.

ANTE CHRISTUM 4050.

Sequentes annos per saltus digere-mus: neque enim ex Sacro textu aliud licet de his elicere, quàm

A. multorum filiorum, ac filiarum generationem, mundi augmento in bonum, Evæ in pœnam, cui dictum fuerat: *Multiplicabo ærumnas tuas, & conceptus tuos.* D. Epiphanius ex libro quodam dicto Leptogenesis, videtur illa Sacri textûs de Adamo verba: *genuitque filios ac filias*, differre ad tempora Sethi, & orbitum Abelis, cum refert post Sethum genitos Adamo novem filios innominatos, vt essent omninò mares duodecim, filiæ autem duæ Save & Azura, quarum illa fuerit Caini conjunx hæc Sethi. D. Methodio suprâ aliter visum. Sed verosimilius longè plures filios & filias Adamo fuisse etiam ante Sethum generatos, & Caini vxorem prius natam, vt postmodû Cain cum filiis, & nepotibus citius civitatem condere posset, neque putandus Cain ad omnem naturæ vitiatæ impetum proclivis totis centum quinquaginta aânis abstinuisse conjugio, præsertim cum ipsum natura nata sit, cui communicaret principium suæ corruptelæ.

ANNUS MUNDI 50.

ANTE CHRISTUM 4003.

Adolefcit jam impietas cumpietate, & pari penè passu se promovent in mundo vitia cum virtute. *Fuit Abel pastor ovium, & Cain agricola.* Vel ex opere nolce peccatoris filium, qui peccati poenam pœtat in sudore vultus sui comodens panem, & tamen omnibus vitiis contaminatus, primus auctor novi moris vescendi carnes, gulæ mancipiû; cum terræ fructibus cõtenti essent parentes; dissimulaturi culpam, esûs carniû, vt terræ Principes, postquam in consuetudinem abiisset. Idem post parentem primus maritus suæ sororis, cum alia non esset, sive ea Calmana vocata sit sive Debora, sive Save vti Epiphanio placuit, sive denique Afva vt putat Cedrenus. Reticuit scriptura nomen, vt & cum sorore conubium tunc necessarium, futurum postea

Abulensis in c. 13. Gen. v. 16. Fevard. ap. salian. die 7. n. 9.

Gen. 3 v. 16. D. Epiph. de hæc. Sed 3

Comest. in Hist. Eccle. D. Method. ap. Rad. in Chron. S. Epiph. hæc. 39.

Comest. in Hist. schol. ap. Rad. in Chron. Alex. Perer. in Genes. Torniel.

Gen. 4. v. 3

Abulensim 4. Gen.

postea abominabile, quod intelligi a nobis potius voluit, quam explicare. Abeli non minus, quam Caino uxorem plurimi attribuunt, & quidem ut Tostatus putat Deboram, vel Delboram: argumento ferè negativo: quod Hieronymus inter exempla continentium Abeleni numerare prætermiserit, & Augustinus agens de iis, qui ab opere generandi abstinerunt, dixerit ante diluivum id neminè fecisse. Mihi vero propius apparet cælibem & Virginem obiisse Abelem, ut sentiunt Epiphanius, Rupertus, Author mirabilium sacræ scripturæ, Genebrardus, & cum his plures, quos consulere curiosus Lector possit, compendia scribens adferre non debet.

ANNUS MUNDI 100.
ANTE CHRISTUM 3953.

Cui bono multiplicatio ovium, quæ Pastore indigerent; & agrorum cultura, quæ alimenta præberet humana, nisi homines multiplicarentur? Ab annis quinquaginta ad hunc annum non multò pauciores à Caino generatos, ut de Caini ex Adamo fratribus, & nepotibus taceam, pronum est conjectare. Triginta ab Adamo generatos filios ex Augustino, centum ex Methodio putat Naclerus. Auctà familiam suis legibus disponi debuit Oeconomia, quare (ut verbis utar Vitruvij) cæperunt in eo coetu alij de fronde facere tecta, alij speluncas fodere sub montibus: nonnulli hirundinum nidos, & ædificationes eorum imitantes, de luto & Virgultis facere loca, quæ subirent. Tunc observantes aliena tecta, & adijciantes suis cogitationibus res novas, efficiebant in dies meliora generasorum: qui sanè mos est naturæ, quæ omnia sua orditur ab imperfectioribus. Deo sacrificia obtulisse Adamum; & idem, ut agerent, filiis authorem fuisse pro comperto habent Cyrillus, Proco-

Apius, Cassianus, D. Thomas & alii. Sacrificia verò Abelis respexit Deus, quia opima & optima bono animo offerebantur, Caini despexit, quia deteriora deteriorè animo; hinc fomes invidiæ, & primi in orbe homicidii ex Caini malitia captata occasio. Hic cum Augustino credimus, dubitandum non esse, potuisse cognosci, Signo aliquo attestante visibili Dominum amborum sacrificia discrevisse.

ANNUS MUNDI 130.
ANTE CHRISTUM 3923.

Hoc anno à Caino occisum Abelem fratrem, parùm refert, quo instrumento, gladio (ut Chrysostomus) improprie fortè appellato, quia nondum inventa arma bellica; falce (ut Irenæus) quæ agricolæ magis conveniret; falcule (ut Prudentius) quod credibilis; lapidibus (ut vult Tostatus) qui erant in promptu, an fuste aut alio quopiam teli genere, asseverant graves authores, Methodius apud Raderum, Rabbinus apud Genebrardum, Caietanus apud Salianum, Marianus Scotus, & alij. Occidit innocentem, hoc satis est; & ne solum vno crimine reus esset, adjecit plura, quod in Deum sua sacrificia respicientem non potuit, in fratrem effudit virus iracundiæ, livoris, invidiæ: simulatam amicitiam & fraude usus incautum Abelem eduxit in agrum, ne quid deesset scelerum, quod in Paradiso patratum fuisset, quando extorris cælo Angelus mella mentitus est, dum propinabat venena, invidens humano generi, quod intellexerat olim ad Patris æterni dexteram in filio Deo collocandum. Exinde fratricida Cain ex divina sententia vagus, & profugus super terram, quia sceleris patrati stigmatibus suos quoque nepotes timuit; Dei jussu ubique, suo metu nusquam securus de vita, anticipatam ubique gehennam circumferens. Adam interim &

S. c. 23. Cass. Procc. in Gen. D. Tho. 2. 2. q. 85. a. 1. S. Chryst. hom. 18 in Gen.

S. Aug. 1. 16. de Civit. Dei. c. 7.

S. Chryst. hom. 19. in Gen.

S. Iren. 1. 4. c. 67 Prud. in Hamart. Tost. in c. 4. Gen. 9. 6.

Method. ap. Rad. Chron. Alex. num. 7. Genebr. in. Chro. Caiet. in 4. Gen. Sal. ad. an. M. 130. Marian. Scot. ad. c. 1. d.

Tost. Abul. in 4. Gen. q. 29. S. Hieron. l. 1. cont. Jov.

S. Aug. 1. 15. de Civ. c. 20.

Epiph. hæc. 39. Rup. l. 4. c. 9. Auth. mir. l. 1. c. 3. Genebr. l. 1. Chron.

Naclerus. Chronogr. gen. 1. Vitru. l. 2. c. 1. & Lucret. l. 5.

S. Cyrill. l. 2. in Gen. coil.

Eva parentes longo luctu cædem filij profecuti, pœnas peccati & ipsi solvabant, in hoc felices; quod cum poenitentia fructu. Quale porro signum Deus Caino impresserit fratricidij argumentum, inquirunt sacri textûs interpretes. Placet opinio Chrysofomi, qui in persona Dei alloquitur Cainum: *Gemens & tremens eris super terram. Quia enim abusus es robare corporis, & membrorum viribus, propter hoc continuum hunc tremorem, & motum, tibi infero.* Et hæc poena omnem deinceps scelestum prima exagitat; semper tremat mala conscientia.

ANNUS MUNDI 131.
ANTE CHRISTUM 3922.

PRO Abele Sethum recenti partu Eva mundo substituit, inquiens: *Posuit mihi Deus semen aliud pro Abel, quem occidit Cain.* Nominis etymon alii fundamentum, alii resurrectionem interpretantur, ut Chrysofomus, & Chron. Alexandrinum, Epiphanius etiam compensationem. Sed quasi certaret cum probitate malitia sub idem tempus Caino filius nascitur Enoch, cuius posteros scriptura tacuit ceu nominari indignos; nomen tamen dedit civitati à Caino conditæ Henochiæ, ut esset ille paternæ pœnæ socius, hæc carcer. Adeò nulla scelestis contingit securitas, qui dum non timent, quæ timere oportet, timere debent, quæ timenda non sunt. Dabit deinceps orbi filios plures Cain, dabit Henochus, sed quos omnes tandem vniuersalis aquarum tempestas sepeliet, & erunt quasi non fuissent. Sethi soboles inter pereuntes salva, longâ serie pium agmen deducet, & Mundi pariet salvatorem. Debent ei suum genus etiam impij bonæ stirpis mala propago, & quot quot post cataclysmum terras colent nostri etiam olim Celtæ, & Japides, Pannonnes, Vindi, nunc Carnioli.

ANNUS MUNDI 150.
ANTE CHRISTUM 3903.

Verosimile est (ut Saliano placuit) circa hunc annum primam in mundo civitatem conditam à Caino, dictam ex filij Henoch adolescentis, & ob morum fortè cum patre similitudinem, specialiter dilecti nomine; in qua non tantum à feris bestiis securior degeret, sed & opes ex latrociniiis conquiritas reponeret. Huic quippè vitio fuisse addictum Josephus notavit, quod mihi vel ex inde probatur, quia Caino ex maledictione divina sterilefcebat terra, nec dabat fructus suos, tametsi eam coleret, & vano labore profcinderet, sæpiùs agros mutans. Unde etiam conjectare licet ipsum nequaquam procul egisse, aut civitati condendæ locum delegisse remotum à fratribus suis fratrumque filiis, quo faciliùs fertiles eorû agros depopularetur, & prædas ageret ex armentis ac gregibus ovium, quibus illi ex divina benedictione abundabant. Minùs igitur vero consentaneum videtur, Quod Cain nonnisi trecentesimo aut quadringentesimo vitæ anno civitatem condiderit, ut existimabat Tostatus. Nam familia & inquilinorum multitudine ad civitatem requisita spatio centum annorum (cum supponamus anno mundi 50. Cainum maritum) in plurimos filios filias, ac nepotes, fuerit Caino multiplicata, quæ vegeta & juvenili sanguine calens ad exercenda latrocinia nativâ partim indole, partim exemplo patris facilè inducebatur. Sic ergò tutela scelerum est civitatum origo.

ANNUS MUNDI 200.
ANTE CHRISTUM 3853.

SEthus jam septuagenarius, cum sex patris institutione primos adolescentiæ ac juventutis annos virtutum studio consecrasset, & circa quinquagesimum (ut credere par est) ætatis annum.

Pennafiel.
æt. 1. c. 3. §. 7.
Contin. T. 2.
Tract. 12.
Conf. 4.

S. Chrysof.
in Gen. hom.
19.

Gen. 4. v. 25.

S. Chrysof.
hom. 21. in
Genes. Chro.
Alex. Raderi.
Epiphan.
hæc. 24.

Salian. hic;

Joseph. 1. 1.
Ant. c. 2.

Genebrat. in
Chron. An-
nius Viterb.
Perer. 1. 7. in
Gen.

Tostat. q. 12.
in Gen.

annum sororem Azuram thori sociam
 assumpfisset, nunc plurium libero-
 rum pater, cum esset vir optimus, in-
 quit Josephus, etiam nepotes sui simi-
 les habuit. Tacet horum nomina fac-
 er historicus, quia ex Augustini ob-
 servatione, illos solum recensere stu-
 diose curavit, quos ordo successio-
 nis poscebat, nullam primogenituram
 habitam ratione. Huic seculo debemus primor-
 dia characterum, & literarum eloquen-
 tiarum, qua etiam longe diffitis manife-
 stare licet abscondita cordium. Au-
 thor protoparens, qui filios & nepo-
 tes suos multiplex erudit scientia, sy-
 derum motus, temporum mutatio-
 nes & ipse observavit, & observari jus-
 sit. Gloriantur Astrologi tam anti-
 quo Magistro: quin etiam omnes,
 qui literas discunt primo Ludirectore
 Adamo.

ANNUS MUNDI 236.

ANTE CHRISTUM 3817.

ENos Setho nascitur, boni patris
 bonum germen. *Iste cepit invo-
 care nomen Domini*: nempè, quia
 piè educatus à patre orationes aliquas
 & cæremonias ad Religionem compo-
 sitas ad invenit, quibus DEUM invo-
 caret, & aliis eundem invocandi au-
 thor esset. Marianus Scotus ad prio-
 rem annum: *Hunc Enos nonnulla divi-
 na scripsisse Juda Apostolo attestante com-
 perimus.* Insigni profecto errore, cum
 Judas Apostolus in sua Epistola non de
 Enos, sed de Enoch septimo ab Adam
 expressè loquatur.

ANNUS MUNDI 300. vsq; ad 400.

ANTE CHRISTUM 3753. vsque ad 3653.

HUjus seculi principio exundasse
 Oceanum, qui penè tertiam
 Mundi partem involuerit pro-
 dit Rabbi Salomon: altum de hoc in fa-
 cris literis silentium. Fides esto penes
 authorem: præluserit fortè divina Ju-
 stitia vniuersali diluvio, ad Caini fo-

bolem à vitiis absterrendam. Nam &
 A. Adam ipse jam pœnitens, factus pœ-
 nitentiæ præco duplex supplicium de-
 generi posteritati, quia non resipiscen-
 ti, prænuntiasse fertur, ignis alterum,
 aquæ alterum. Josephus id ex Hebræis
 hausit, ex Josepho scriptores Christiani.
 quorum Naclerus recenset geminas
 columnas ab Adæ posteris erectas, lateri-
 tiam vnam, marmoream alteram, qui-
 bus gesta & doctrinarum inventiones
 inscriptæ fuerint, vt si lateritiæ chara-
 cteres ignis absumeret, vel aqua elue-
 ret, in marmorea rerum perseveraret
 memoria. Hoc quoque ex Josepho mu-
 tuum accepit Naclerus, & post eum
 alij: sed & dudum ante ipsum ejusmodi
 columnarum meminerunt Diodorus &
 Plinius apud Ægyptios & Babylonios
 conservatarum. Refert hæc Sallianus
 ad nonum seculum, quamvis fateatur
 ex Suida, quod Sethus (qui nunc age-
 bat annum 170. literas Hebraicas & a-
 strorum denominationes invenerit, &
 melius longè putet Adamum suam soler-
 tiam & literas & animalium nomina exco-
 gitasse, Sethi verò filios literis imbutos
 scripturam exercuisse. Cainan ex Enos
 nascitur Anno mundi 326. ex Cainan
 Malaleël lucem aspexit Anno Mundi.
 396.

C. ANNUS MUNDI 400. vsque ad 500.

ANTE CHRISTUM 3653. vsq; ad 3553.

Totum hoc seculum oblivioni
 datum est, & suis vitiis sepultum.
 Gesta liberæ cogitationi & con-
 jecturis relicta sunt. Properantis in inte-
 ritum mundi famosa scelera famam apud
 posteros non meruerunt. *Superstite etiam
 tum Adamo, inquit Josephus, Caini Soboles
 sceleratissima evasit, dum posterior quisq; fit
 deterior nec solum imitatur priorum vitia,
 sed & superat.* Et Methodius apud Ra-
 derum ait circa hæc tempora *filios Cain
 abusos fuisse vxoribus fratrum suorum in
 fornicationibus nimis.* Mansit tamen
 adhuc seculum bonum juxta & ma-
 lum;

Epiphan.
 hæc. 39. Jos.
 l. 1. Ant. c. 3.

S. Aug. l. 15.
 de Civ. c. 15.

Nacl. Gen.
 2.

Joseph. l. 1.
 Antiq. c. 2.
 Nacl. Gen.

Diod. l. 1.
 Plin. l. 7. c.
 56. Sal. an.
 M. 875.

Sallian. hic.
 Nacl. Scot.
 ad an. M.
 235.

Joseph. l. 1.
 Antiq. c. 2.

Rabb. Salom.
 in 6. Gen.

Rader. in
 Chron. A. e.
 Method. ap.
 hunc.

lum Sethi pia progenies, impia Caini, A. nec à suis radicibus stirpes degenerarunt: sed feracius semper malum.

ANNUS MUNDI 500. vsq; ad 600.
ANTE CHRISTUM 3553. vsq; ad 3453.

Method. cit.

Magnum etiam de hoc seculo silentiū nisi quod, Methodio auctore, homines penè ad insaniam libidinosi omnem honestatem calcaverint. Vixit adhuc Adamus, & se haud dubiè auctorem tantoperè vitiatae naturæ ingemuerit, frustra nepotibus recensens damna, & jacturam felicitatis quo exciderat. Vixerunt etiam ex B. meliore Adæ posteritate Anno Mundi 500. Sethus annorum 370. Enos Annorum 105. Jared. annorum 40. quibus totidem generationes improbae Caini Sobolis correspondebant, Henoch, Irad, Maviaël, Mathusaël. Mireris à sacro Historico nominatos, qui suis & paternis demeritis erant Anonymi.

ANNUS MUNDI 623.
ANTE CHRISTUM 3430.

ENoch Jaredi filius, septimus ab Adamo toti Adami posteritati superstes, natali suo hunc annum consignat, statim candidatus immortalitatis, quia ambulaturus cum DEO. De his temporibus Epiphanius hæc habet: *Quemadmodum autem traditio habet, quæ ad nos devenit; hinc incepit fraus in Mundo fieri: & ab initio quidem per inobedientiam ipsius Adam, deinde per ipsius Cain parricidium. Nunc autem in temporibus Jared & ultra, veneficium incantatio, petulantia, adulterium & iniustitia &c.* Silere debuit scriptura nomina & gesta filiorum & nepotum Cain, ne meliores ipso fuisse crederentur. fatis erat aliquot nominasse, ut centenos similes intelligeremus: nec opus erat signare annos, quia nullos vixerunt. Semper moritur, qui malè vivit, & qui vitiis impendit tempus, prodigit.

Epiphan. init. Panar.

ANNUS MUNDI 650.

ANTE CHRISTUM 3403.

COævi Sethi profapiae, ex Caini stirpe, ne omnes dies otio darent singuli singula comminiscuntur. Lamech Mathusaëlis filius Maviaëlis nepos arcus & sagittas vel invenit vel tractat, ferarum per sylvas venator, maximam omnium brevi perempturus Cainum atavum incauto jaculo. Proximè subsecutos Lamechi filios volunt nonnulli, quod circa hos annos de eorum nativitate crediderim, ut tempora temporibus, Sethi lineæ, linea Caini veluti parallela connectatur. Mirum ex bigamo Lamecho, & ut Patribus visum, adultero, quia duarum vno tempore marito, natos tot filios (septuaginta septem fuisse scripsit Josephus) tres tantum nomen apud sacrum historicum meruisse, de quibus infra.

Joseph. de Antiq. Jud. S. Hiero. Ep. 125. ad Damasum.

ANNUS MUNDI 688.

ANTE CHRISTUM 3365.

AMbulat cum Deo pius Enoch: feras insectatur infelix Lamech, & fortè intrà densiora arbuſta latentem atavum Cainum, quem feram putat, telo petit & perimit, Ferina vita parem exitum sortiri debuit. Sic impij plectunt aliena scelera, suo scelere. Filij Lamechi ex conjugè Ada Jabel, & Jubal, ex Sella Tubalcain & Noëma; nec plurium extant nomina. *Jabel pater habitantium in tentoriis, atque pastorum: non quod ante illum non fuissent pastores, quia & Abel oves pavit, sed quod Pastoritæ vitæ commoda indagans, tentoria contra cæli injurias, & fortè etiam ferarum assaultus excoGITaverit, cætera vitioso patri non abſimilis. Jubal pater canentium cithara & Organo, Musicæ inventor, ne quid deesset ad luxum sensuum ohlectamenta quærentium. Tubalcain fuit malleator & faber in cuncta opera æris ac ferri. Pridè inventum, an ab ipso Adamo ostensū æs*

Marian. Sco. Salian. hic.

Gen. 4. v. 20.

Gen. 4. v. 20.

æ ferrum instrumentis agrestibus & domesticæ necessitati hæc tunc fervierat; deinceps etiam in tela & arma proceditur. Putasne telum, quo Cainus occubuit alterius fabri opus fuisse quàm Tubalcaini? Noëma horum soror lanificij, & texturæ inventrix, linum in fila traxit, & pannos texuit, cum antea bestiarum pelles tunicis, & vestibus deservierint. Eodem hæc anno pius Enoch Mathusalem filium consequitur victurum minus patre, plus cæteris hominibus.

ANNUS MUNDI 700. vsq; ad 800.

ANTE CHRISTUM 3353. vsq; ad 3253.

G Eminæ familiæ filiorum DEI, & filiorum hominum sub principibus Enocho & Lamecho ejusdem stirpis, diversi moris, longè lateque se diffundunt, vrbes condunt, modico aut nullo, vt suspicari licet, commercio. Mirum videri possit tot annos à sacro historico datos oblivioni, & silentio, nisi ex posterioribus colligetur, multiplicatis Caini posteris crevisse malitiam, vt sensim omnis caro corrumperet viam suam, & vicinis quoq; Dei filiis vitia affricarentur. Adamo & Setho de salute suorum filiorum sollicitis, dum Caini posteritas in omne scelus proruit, salubre visum fecernere familias, & mutuum inter eas connubium prohibere; quod hæc tunc servatum, Adamo & Setho senescentibus infringetur.

ANNUS MUNDI 800. vsque ad 900.

ANTE CHRISTUM 3253. vsque ad 3153.

A Nno quadringentesimo Jared, qui est Adami 860. idemque mundi, surrexerunt, vt loquitur Methodius apud Raderum, *viri male artis inventores iniqui, & omni malitia pleni ex filijs Cain, vt Jobeth Tholucel filij Lamech, qui fuit cæcus, qui & Cain interfecit, in quos dominatus Diabolus conver-*

A. *tit eos postea in omnem artem Magicam, & omnem speciem Musicam componendi. Magiæ igitur inventores fuisse asserit filios Cain, & artes quas excogitaverant malas vniversim vocat non quod Musica vel æris ac ferri elaboratio mala sit, sed quod malo fine, & ad malum à filiis Cain suscepta, & inventa. Mathusalæ Enochii filio centesimum octagesimum octavum annum agenti nascitur filius Lamech non mulierosus ille & homicida, de quo supra, sed pius & Dei cultor eximius, cujus probitas elucescet in filio Noë servaturo humanum genus.*

B. ANNUS MUNDI 900.

ANTE CHRISTUM 3153.

A Dhunc annum, qui fuit Lamechi parricidæ circiter 300. Jubalis & Tubalcaini 200. & supra, illud sacri textus referendum existimo, quod Marianus Scotus anticipare videtur, Salius verò ad vndecimum seculum differt. *Videntes filii Dei filias hominum quod essent pulchræ acceperunt sibi uxores ex omnibus, quas elegerant.* Josephus tradit hoc accidisse octava generatione, quæ sanè correspondet ætati Lamechi parricidæ, & suaderi potest ex eo, quod hoc eodem tempore Lamechi filij Musicam & alia oblectamenta sensuum adinvenerint, Noëma item eorum soror à pulchritudine, & forma eximia commendata (vt habet Salius) in flore ipso ætatis longè facilius Sethi posteros inescare potuerit, quàm post sesquiseculum; quamvis etiam tunc, ruente jam ad interitum Mundo, eadem duarum familiarum commixtio perseverarit, & multò quam ante licentiosior facta sublato è vivis Adamo & Setho. Huc ergò refer illud Theodreti: *Hi qui ex Seth genus duxerunt, olim quidem vt virtutum studiosi, vocabantur filii Dei, verùm impurarum mulierum pulchritudine capti, confuderunt familias alioqui distinctas, & profructu hereditario omnem nequitiam acceperunt.* Filios Dei

B 2

filios

Genebrar.
Chron.

Salian. Mar.
Scotus.

Salian. Ma-
rian. Scot.

Marian. d.
an. M. 74.
Salian. ad ar.
Mund. 2042.
Genes. 6.

J. seph. Ant.
l. 1. c. 4.

Theod. q. 47.
in Genes.

Method in
Chron. Ale-
xand. Radcr.

filios Seth; filios verò hominum filios & posteros Caini appellatos ex hoc loco intelligis, & idem fenserunt, Chrystomus, Augustinus, Cassianus, Rupertus, alij.

ANNUS MUNDI 930.
ANTE CHRISTUM 3123.

MOritur hoc anno, per quem omnes morti addicti sumus, idem nobis vitæ parens & necis Adamus, nunquam infans, nunquam adolefcens, semper adultus, senio tamen confectus, cum longâ nongentorum triginta annorum pænitiâ & lachrymis peccatum eluisset. Dubitarunt nonnulli de ejus salute, sed Patrum torrens eum cælo invehit. Sepultum à Cariatharbe viginti duobus millibus passuum scribit Marianus Scotus; in Hebron civitate Arabiæ Hegesippus apud Naclerum: constans verò Patrum & Ecclesiæ traditio est, Adamum in Judæa habitasse, in monte Calvario, vbi postea Mundi Servator crucifixus est, terræ mandatam à filiis & nepotibus, quos videre licet apud Salianum; licet D. Hieronymus Isidorus, Rupertus, Lyranus, Tostatus & nonnulli alij cum Hegesippo aliud fenserint. Anno statim sequenti defunctam, & sepultam Evam aliquorum opinio est; Salianus cum Genebrardo, Mariano Scoto, & Fevardentio id differt ad annum Mundi 940.

ANNUS MUNDI 987.
ANTE CHRISTUM 3066.

COelestis homo Enochus, postquam tot annos exegit in terra, quot dies annus habet; in terra esse desiit nondum mortuus, omnibus mortuis superstes (Paradisi colonus ut plerique existimant) servatur in extrema tempora futurus testis judicij DEI, quod prophetavit, uti Judas in Epistola Catholica notat. De loco in quem trans-

latus est multi dubitant, & quid Paradisi nomine intelligat scriptura investigant, qua de re vide Salianum, hîc. Scripsisse nonnulla divina Enochum tradit D. Augustinus Tertulliano consentiens, quæ tamen Hebræi non agnoscebant genuina. Origenes materiam in libris Enoch, contentam designat: *Qui fecit multitudinem stellarum, ut ait Propheta, & omnibus eis nomina vocat. De quibus quidem nominibus plurima in libellis, qui appellantur Enoch, secreta continentur, & arcana; sed quia libelli ipsi non videntur apud Hebræos in auctoritate haberi, interim nunc ea, quæ ibi nominantur ad exemplum vocare differamus*: Fragmentum ex libro Enoch recitat Scaliger; & aliud habetur apud Georgium Syncellum, quod vertit Raderus.

ANNUS MUNDI 1042.
ANTE CHRISTUM 3011.

ANnus hic Sethi viri sanctissimi, & filiorum DEI Principis, qui singulari DEI dono innocenti Abeli suffectus fundavit justorum familiam, impiæ Caini profapiæ oppositam, felici obitu signatur. Succrescebant interea ex filiabus hominum à filiis DEI generati gigantes *potentes à seculo, viri famosi*, daturi olim Poëtis ingentem fabularum materiam. Quales hi fuerint expressit D. Cyrillus loquens de Sethi posteritate filiorum DEI nomine insignita: *Ut primum ad avidas carnis libidines prolapsi sunt, mulierum pulchritudine incensi, à via recta plurimum aberrarunt. Acceperunt etenim, inquit, sibi uxores ex omnibus filiabus hominum, quas elegerunt. Et quanquam Dij, Deorumque filij atque potentum appellarentur, mox ad earum mores, & instituta se converterunt, atque turpissimam sceleratissimamque vitam siquebantur. Atque ita fiebat, ut uxores eorum prodigia parerent. Deus enim ob eorum effrenatam libidinem, & ipsam humanorum corporum pulchritudinem deformem sanè redde-*

3. Chryst. hom. 22 in Gen. August. l. 15. de Civ. c. 23. Cassia. col. 8. c. 21. Rup. l. 4. c. 12. in Genes.

S. Irenæus.

Marianus Chron. Hegesipp. ap. Nacler. Gen. 1. Tertull. Cypria. Theophyl. Epiphani. Athanas. Ambros. August. Moses Barcepha. ap. Salian. S. Hier. l. de obit. SS. Isidor. in Chron. Rup. l. 3. c. 31.

Mascul. in Encom. Patriarch. Irenæ. l. 5. c. 5. Procop. Gazæ. in c. 4. Gen. Athanas. Ep. de Nicæ. Syn. D. Tho. 3. p. q. 49. a. 5.

Herm. Contra. h. c. D. Aug. de Civ. Dei l. 15. c. 23. Tertull. de hab. mulier. c. 3.

Scalig. in notis ad Euseb. Rader. in Ghro. Alexand. not. 3.

Cyrrill. l. 3. in Gen.

reddibat. Erant enim gigantes id est indomiti robustique homines, plurimumque de-
formes, atque ob corporum magnitudinem
cæteris excellentes. Superbos fuisse, am-
bitiosos; aliorum contemptores, justitiæ
violatores, tum ex sacro textu, tum ex
Patribus ostendunt multi.

ANNUS MUNDI 1057.
ANTE CHRISTUM 2996.

ORitur antiquo mundo Hesperus, mox eidem renovato futurus Phosphorus, Magnus Patriarcha Noë, pii Lamechi filius, Mathusalæ nepos, divino elogio vir justus atque perfectus, patris verò Lamech
vaticinio: *Iste consolabitur nos ab operibus & laboribus manuum nostrarum in terra, cui maledixit Dominus.* Unde Lamecho Prophetiæ donū Chrysofostomus, Theodoretus, Procopius Gazæus attribuunt; dubitat Caietanus an non ex astris & Astrologiæ peritia cognoverit Lamech qualis sit futurus filius, quasi ex astrorum situ cognosci possent futura contingentia, quæ à libero pendent arbitrio.

ANNUS MUNDI 1100. vsq; ad 1200.
ANTE CHRISTUM 2953. vsq; ad 2853.

SEculi hujus annum 1140. felici morte consecravit, qui primus docuit homines cum Deo loqui Enos Sethi filius. De quo Cyrillus: *Enos qui speravit invocare nomen Domini Dei sui, quique ab illis hominibus, qui tum temporis aderant, Deus appellatus est.* Nam cum incredibilem ejus justitiam animadverterent, Deum protinus appellabant, atque ob ejus admirabilem virtutem dignum hac appellatione existimabant. Cainitæ viceversa gigantes aucti numero, feroces potentiâ, justitiæ contemptores, nihil intentatum relinquebant, quo bonos opprimerent, probitatem extirparent, ac soli pro suo arbitrio dominarentur. Mali amores, mores pessimi, bella & cædes ab his inventa & con-

tinuata. Nempe Caini soboles & infau-
sta posteritas fuerunt Gigantes nominati illi, qui ab initio fuerunt, staturâ magnâ, scientes bellum, quos hoc primum seculo vltra dimidium excurrente natos existimat Auctor libri Apocryphi sub nomine Enoch; sed melius id intelligas de Gigantum filiis ac nepotibus, malæ radicis peioribus furculis. Oppressa erat omnis probitas, nisi ex stirpe Sethi adhuc pauculi Numinis iras morarentur, Cainan, Malaleël, Jared, Mathusalem, Lamech, Noë, quorum Noë quadragesimum quartum ætatis agebat annum initio seculi, maiorum imago; fuorum quos (licet scriptura non nominet) eodem hoc seculo generavit, exemplar, omnibus vivendi norma.

ANNUS MUNDI 1200. vsq; ad 1300.
ANTE CHRISTUM 2853. vsq; ad 2753.

ELECTUM genus minuitur, Enosi filius Cainani moritur An. Mundi 1235. Cainanis filius Malaleël patrem sequitur anno 1290. cum reliqua turba fratrum, nepotum, ac pronepotum, quos sepelivit oblivio. Cainitæ verò Gigantes crescunt numero, potentiâ, ferociâ, rati se non esse liberos, nisi proborum libertate oppressâ. *Hi fuerunt primi Tyranni*, ait Genebrardus, *oppressâ libertate humanâ, & pace tranquillitateque publicâ: violenti aggressores innocentium, raptores & corruptores Virginum in fausto concubitu geniti, & generantes; vix adulti, jam adulteri. Cultores etiam Idolorū fuisse, non hos solū, sed dudum ante ipsorum maiores putat idem Genebrardus; sed melius ad Patrum mentem Salianus negat ante diluvium investam mundo Idololatriam: tametsi fateatur sortilegia, veneficia, Magiam, quæ Idololatriæ affinis est exercitam à Cainitis. Ego suspicor id temporis Atheismum irrepsisse in filios hominum, in gigantes potentes à seculo, id est vt Rabbi Abraham, & Rabbi*

Sap. 14. v. 6.
Eccli. 16 v. 8.
Aug. de Civ.
1. 15 c. 23. &
9. D Hieron.
de tra. Heb.

Baruch. 3. v.
26.

Apocryph.
ad an. M.
1179.

Gen. 5. v. 29.

Chrysof.
hom. 21. in
Gen. Theod.
ap. Lipom.
Proc. in Gen.
Salia. hoc
anno.

Salian. hic.

Cyrril. lib. 3.
in Genes.

Genebrar. in
Chron.

Salian. an.
M. 259. Cyr.
Alex. l. 1
cont. Jul. Ire.
l. 5. c. 29.
Epiphan.
panar. init.
Tertul. l. de
Idol. c. 4.

Rab. Abrah.
& Rab. Abe.
Ezra ap. Ge
nebrar. c. t

Aben-Ezra explicant, Optimates & nobiles, qui contempto Deo, Dei adoratores conarentur extinguere. Videtur id innuere Josephus illis verbis : *Procedente dein tempore à patriis institutis degenerarunt; neque humana jura servantes, neq; Deo consuetos honores persolventes, & qui prius certatim virtutem exercuerant, postea multò maiore studio malitiam consuecunt, atque ita Deum insensum sibi reddiderunt.* Sanè hæc non conveniunt nisi impiis, qui cum in profundum venerint, contemnunt, de quibus David : *Dixit insipiens in corde suo : non est Deus. Corrupti sunt, & abominabiles facti sunt in studiis suis &c.* Et qui tanta patrabant scelera, Deum scelerum Vindicem videntur non agnovisse. Hoc fortè Poëtis occasionem dedit fingendi Gigantomachiam, qua Deos hi Terræ filij oppugnarunt, quod Atheismi proprium est : ut taceam esse ut plurimum Magicis addictos artibus, quos hæc pestis afflaverit. Quin illa D. Petri verba huc collimare videntur. *In quo & his, qui in carcere erant, spiritibus veniens predicavit, qui increduli fuerant aliquando, quando expectabant Dei patientiam in diebus Noë cum fabricaretur arca.* Incredulos aliquando supponit ante vitæ finem conversos.

ANNUS MUNDI 1300. vsq; ad 1500.
ANTE CHRISTUM 2753. vsq; ad 2553.

DUobus hisce seculis silent omnia, quia satis visum est sacro historico filenda humani generis probra paucis insinuare : quod (post natos gigantes) *multa malitia hominum esset in terra, & cuncta cogitatio cordis intenta esset ad malum omni tempore.* Jared interea Noëmi proavus vitæ anno 962. mundi 1422. vivere desijt :

ANNUS MUNDI 1537.
ANTE CHRISTUM 2516.

ADhunc annum referunt plerique Chronographi sententiam divinam. *Non permanebit spiritus meus in homine in æternum : quia caro est, eruntque dies illius centum viginti annorum.* non quod deinceps homines victuri non essent plùs quàm centum viginti annis, quasi intrà hoc spatium temporis singulorum vita coërceri deberet, sed quod decreverit Deus, ut deinde sequitur : *Delebo hominem, quem creavi à facie terræ, ab homine vsque ad animantia, à reptili vsque ad volucres cœli.* Illa igitur prior sententia eum sensum habet, quæ expressit Augustinus *centum viginti anni predicti sunt futuri hominum perituro- rum, quibus transactis diluvio debebuntur.* dati proinde sunt ad poenitentiam, quàm etiam Noë dudum suadebat furdis fabulam canens.

ANNUS MUNDI 1557.
ANTE CHRISTUM 2496.

Compendiosa totius humani generis habitatio Arca divino jussu hoc anno, qui centesimus diluvium antecedit, fabricari cœpit à Noë, vsus ille conductis operis facto ipso clamabat, cum verba non proficerent; venturum orbis excidium, à quo sibi metuere deberet impietas. Sed jam obduruerant peccantium corda, & seria comminatio vertebatur in risum. Paucos aliquos resipuisse præsertim ex generationibus Sethi, qui seducti fuerant à Cainitis sentiunt Hilarius & Rupertus : estque verosimile Deum eos præ cæteris ad poenitentiam efficaciter traxisse, qui Noëmo in arca fabricanda fuerant cooperati : quos inter fuerint etiam proprii filij. à scriptura non nominati, ante inchoatum diluvium mortui, pro- ut & Noëmi pater & avus panlò antè id diem obierunt : reservante DEO reparationi orbis solas octo animas.

Joseph. lib.
1. Ant. c. 4.

Psal. 13.
v. 1.

1. Pet. 3. v.
20.

Gen. 6. v. 5.

Gen. 6. v. 3.

ib. v. 7.

S. August. l.
17. de Civit.
c. 24.

S. Aug. l. qq.
in Gen. q. 6.

Hil. in Psal.
118. Rupert.
l. 4. c. 16.

ANNUS MUNDI 1559.
ANTE CHRISTUM 2494.

NOëmo filius Sem nascitur, inter servatos à diluvio maior natu. Ità probabilior scriptorum opinio, & Patrum. Quo año reliqui duo fratres Cham & Japhet nati sint hæctenùs non constat. Cham fuisse minimum natu scriptura videtur suadere, & Hebræorum Philonis ac Josephi sententia est. Japhetum tamen Patres minimū natu agnoscunt, & fortè natum 50. ante diluvium annis, satis nobis sit servatum Japhetum, cui nos penè omnes Europæi nostram debemus originē, & præfertim Japides ei nominis affinitate conjuncti.

ANNUS MUNDI 1656.
ANTE CHRISTUM 2397.

MAthusalem quinto à Lamechi filij sui morte anno, cūm ageret ætatis 969. vitâ excedit, relinquens nepotem Noë, qui mox pereuntii humano generi tabulam porriget. Non nisi septem ante diluvium diebus obijisse notavit Rabbi Salomon apud Genebrardum, ne superesset malis, quæ non meruerat. *Ergò anno sexcentesimo vitæ Noë, mense secundo, septimo decimo die mensis rupti sunt omnes fontes abyssi magnæ & cataraclæ cœli apertæ sunt, & facta est pluvia super terram quadraginta diebus, & quadraginta noctibus.* Quæ tunc rerum facies? quantus pereuntium hominum juxtâ & brutorum labor? Impurus ignis in cordibus hominum extingui non potuit nisi totius aquæ elemento; mixta fluminibus maria, & his cælestes aquæ sua quoque nomina perderunt, dum perdunt, à quibus nomen acceperant. Centum annos dederat Deus suæ patientiæ, humanæ pœnitentiæ: hæc contemptâ, efferbuit illa, & annum absumpsit in eo, absumendo, quod in terra vivebat. Exinde reversis aquis in locum suum apparuit terra no-

A. va, novus Mundus octo personarum salutis innixus. Extincta est in mari Venus, quàm finget olim Græcia rursus enatam ê mari. Prodi nunc ex arca magne superstitis hodie posteritatis genitor Japhet, nihil opus vt tibi fabulæ nomen mutent. Fatemur Europæi, Japheti genus sumus: honorem habemus parenti: & si vel dubitent vel negent alii, nos Japides, quasi Japetes vel Japetides in ipso nomine nostram agnosceamus originem.

ANNUS MUNDI 1657.
ANTE CHRISTUM 2396.

B. **E**Gressum ex Arca Noëmum liberis iterum dedisse operam Joannes Annius Viterbiensis cum suo Beroso asserit, eique triginta adhuc filios assignat. Apud Nauclerum lego ex eodem Beroso nomina. Noë (quem & Janum, & Ogygem, & Cœlum cognominat) ex vxore sua Tytea vel Vesta vel terra procreavit, post diluvium Macrum, Japetum juniorem, Prometheum priscum, Tuiskonem, Cranan, Cranum, Granaum, Thetym, Oceanum, Typhoëum, & decem ac septem Titanas, Araxam Priscum, Pandoram juniorem, Scytham Priscum, qui conficiunt trigessimum numerum. Tuisco Germanorum & Sarmatarum pater genuit Manum, hic Ingævonem, qui Istævonem, qui Hermionem, qui Marsum, qui Gabrivium, qui Suevum, qui Vandalum, qui Hunnum, qui Herculê, qui Teutanem. Si Berosus incorruptus extaret, multa fortè ex eo possemus promere, cum sit vnus ex antiquissimis Authoribus, & trecentis minimum annis ante Christum natum floruerit, magni æstimatus apud subsequentes veteres scriptores: sed cum ab Annio Viterbiensi depravatus manifestis fabulis prodierit, non habet fidem apud doctos, qui accuratius indagant veritatem historiarum. Cajetanus non recusat Noë-

An in Com. Berosi.

Naucl. vol. 1. gener. 11.

Cajet. i. G.

Epiphan. in Ancor. Cyr. i. 4. in Gen. Aug. l. 16. de Civ. c. 3.

Phil. l. de re- sipisc. Noë. Joseph. l. 1. c. 6. Antiq.

Faab. Salom. Gen. 7. 11.

mo plures filios post diluuium concedere, idque subtiliter ex ipso sacro textu conatur elicere, & ratione fulcire, quod in tanta mundi solitudine prospiciendum fuerit multiplicationi generis humani. At contra Sallianus authoritati S. Chrysofomi & Epiphaniij innixus contendit nullos amplius liberos Noëmo natos post diluuium. Addit rationes, quia oportuisset omnes illos filios fuisse steriles, ut verificaretur sententia Moyfis, quæ à tribus filiis Noë, nimirum Sem, Cham, & Japhet asserit disseminatum omne genus humanum. Vel certè oporteret dicere Moysem non rectè scripsisse. Ego arbitrum inter has opiniones non agam: vtraque fortè componi posset, salvâ Patrum autoritate, qui solùm loquuntur de filiis, quos nominavit sacer historicus, si tribuerentur Noëmo filii pauci, plures filia, quod videtur tunc fuisse necessarium, ut filii nepotum vxores nanciscerentur. Neque opus est filios Noëmi facere steriles, quia cum à sene patre generati fuerint, non erant longæ vitæ & tam robustæ complexionis, ut alii priores, inter quos divisus est orbis terrarum, ut infra referemus: & quos, rursus illi filii genuissent tam pauci inter copiosam sobolem fratrum, pro eorundem quasi filiis fuissent habiti. Illud de hoc anno certum Semo natum filium Elam, Japheto Gomer, & Chamo Chus.

ANNUS MUNDI 1658.

ANTE CHRISTUM 2395.

Nascitur Semo alter filius Assur, & sequenti Arphaxad, ut tamen intrâ biennium annorum completorum post diluuium nati sint priores duo, & tandem Arphaxad biennio jam completo, provt sacer textus insinuat. Nascitur etiam hoc anno Japheto filius Magog, & anno sequenti Madai: Chamo verò nunc Mesraim, dein Phuth. De horum progenie scriptura pauca nomina enumerat, Chro-

A. nologi illis prætermiſſis texunt lineam ab Arphaxad ad Abrahamum. Nos hic à cæteris Chronologis recedemus, & de Japheti generationibus, quæ certa aut verosimilia occurrerint promemus. Ab hoc quippe Germanos & Carniolos eorum partem, & quid quid ferè populorum hodie Europam colit, procreatos cum multis aliis authoribus, saltem conjectabimus, si non evincemus.

ANNUS MUNDI 1660.

ANTE CHRISTUM 2393.

Japheth noster hoc año filium quartum nanciscitur Javan, quem subsequenter annis fraterno nomine excipiunt, *Thubal, & Mosoch, & Thiras. Porro filij Gomer, Ascenez, & Riphat & Thogorma. Filij autem Javan Elisa & Tharsis, Cethim & Dodanim. Ab his divisæ sunt insulæ gentium in regionibus suis, unusquisque secundum linguam suam, & familias suas in nationibus suis.* sic sacer textus, cui non licet contraire: addamus benedictionem Noëmi: *Dilatet Deus Japhet, & habitet in tabernaculis Sem, sitque Chanaan servus ejus.* Quibus verbis notatur Japhetum in posteris suis non solùm suam terræ portionem, sed etiam fratrum ex parte occupaturum.

C. D. Hieronymus in hunc locum, putat intelligi debere de hæreditate spirituali, quam Japheti posterii gentiles, loco posterorum Semi seu Israëlitarum occuparunt. Sic enim ait: *De Sem Hebræi, de Japhet populus gentium nascitur. Quia igitur lata est multitudo credentium, à latitudine, quæ Japheth dicitur nomen accepit: quod autem ait: & habitet in tabernaculis Sem, de nobis prophetatur, qui in eruditione & scientia scripturarum ejectione Israële versamur.* Sed potest prophetia intelligi etiam in sensu literali, quia revera Japheti posterii se dilatarunt etiam per tabernacula Sem. Nam Semo obtigit Oriens, Syria, Chaldæa &c. quas postea terras occuparunt Galatæ seu Gallogræci à Japheto oriundi, ut postmodum

S. Chrysof. hom. 24. in Gen. Epiph. l. 1. Panar.

Gen. 10. v. 2.

D. Hieron. in qq. Hebræ. q. 6.

Sal'm. hic. In niell. Henning.

Genebr. l. 1. Chron.

dum dicemus. Quin & Chanaan factus est Japheti servus, cum Judæi qui Chanaanitidem terram occuparunt sub jugum missi sunt Europæorum à Japheto descendendum, sub quo etiamnum gemunt.

ANNUS MUNDI 1666.

ANTE CHRISTUM 2387.

Author idem vitis & vitæ post diluvium Noëmus de fructu manuum suarum inebriatur: nimirum jam aquæ defecerant. Irrisus à filio Chamo obtegitur à Semo & Japheto. Nunc primum juri naturæ repugnari cæptum in pœnam peccati. Liberos omnes natura jussit; Noëmus suo nepoti Chanaan Chami filio, qui prior nuditatem avi revelaverat, servile stigma fulmine maledictionis inussit. Sed æquum erat servilem pœnam subire, qui liberum filiorum servitium parenti subtraxerat. Lactantius tradit Chamum à patre abdicatum profugisse in eam orbis partem, quæ nunc Arabia dicitur, dictam de filij nomine Chanaan; unde Chanaanæi. *Hæc fuit prima gens quæ Deum ignoravit: quoniam princeps ejus & conditor cultum Dei à patre non accepit.* Difficile creditu Chamum ignorasse quid sit Dei cultus, cum decennio (vt vult Delrio & Pererius) post diluvium maledictus sit in posteris, vel quindecennio, vt Salianus. Noëmum & ante diluvium & in Arca tempore diluvij de divino cultu sollicitum fuisse, ac cum filijs jam maturis differuisse, velut sanctissimum ejus ætatis virum decebat, certum est ex scriptura, quâ teste vix egressus ex arca Noë cum filijs ædificavit altare Domino, & obtulit holocausta. Facilius intelligi possit de Chami filio necdum id temporis nato, sed quinquennio fortè post diluvium, quod cum patre hoc tempore profugus, parùm de veri Dei cultu didicerit extorris à familia sancta. Existimo itaque illa Lactantij hunc sensum habere, quod Chamus,

Perer. l. 14.
in Gen. Delr.
Torniell.

Theodor. q.
57. in Gen.

Lactant. l. 2.
c. 14.

Perer. Delr.
cit.

Gen. 8. v. 20.

A. vel saltem filius ejus Chanaan, licet edoctus cultum Dei, eum tamen exercere contempserit. Japheti nostri filius Javan hoc anno sexennis, Thubal quinquennis, Mosoch quadriennis, Thiras triennis erat, quando bonus ex vini potu dormitavit Noë.

ANNUS MUNDI 1694. ad 1724.

ANTE CHRISTUM 2389. ad 2329.

Incerti deinceps sunt natales nepotum Noëmi ex Japheto & Chamo. Circà Annum M. 1694. putat Salianus natum celebrem illum in scriptura Nemrod, & non multò post Zoroastrem, qui à Græcis idem cum Nemrodo est creditus. Anno verò M. 1724. natus est Sala Cainani filius, nepos Arphaxadi, pronepos Semi. Interim Noë cum filijs & nepotibus adhuc incolebat Armeniam, vt habet Epiphanius, in campestribus & collibus provt commodius visum. Quod autem Josephus scripsit in montibus tantum habitasse recentis cladis memoriâ pavidos, id non consonat sacro textui, & Noëmi probitati, quem DEUS affecuraverat de non repetendo diluvio, cum quo pepigerat foedus sempiternum, &c. Quidni crederet extrà periculum bono Domino, qui crediderat in periculo?

Epiph. init.
Panar.

Joseph. l. 1.
c. 4. Antiq.

ANNUS MUNDI 1754.

ANTE CHRISTUM 2299.

HEbræorum pater Heber Salæ filius hunc annum signat suo natali. *Ex Heber Hiberæi appellati sunt, ac deinde vna detracta litera Hiberæi inquit S. Augustinus.* Eodem hoc anno quo natus est Heber, transfisse putatur fluvium Tygrim in Chaldæam Arphaxad cum vniversa familia sua, quod Torniellus probabile putat, Salianus verò commentum Judaicum, eo quod non sit adhuc facta terrarum divisio, & filij non possint privatim sibi

August. l. 16.
de civ. Dei.
c. 5.

Torniell
adhunc an.
salian. hic.

assumere hæreditatem paternorum bonorū. Verūm hæc ratio non evertit Hebræorum assertum, quia & si Arphaxad transisset fluvium Tygrim ad habitandum, non procul recessisset à Noë & cæteris Armeniam tunc inhabitantibus. Et quis credat hucusq; lapsis nonaginta & octo annis à diluvio, in vnico terræ angulo permanisse omnes familias filiorum, nepotum, & fortè pronepotū Noemi, vt non cogerentur vicinas sibi sedes deligere, etiam priusquam fieret vniuersalis partitio? Imò quis credat vsque ad annum 132. diluvij quo divisio terrarum facta est, vt putat Salianus, omnes Noë posteros simul mansisse in campestribus Armeniæ, & non etiam suas vltius extendisse habitationes. Suprà Anno M. B. 1666. retulimus ex Lactantio, quod Cham filius Noë ob irrisionem patris abdicatus profugerit in Arabiam cum sua familia; idq; Salianus non negat, sed in Scholiis id ipsum referre vult ad annum divisionis terrarum, ex hoc ipso argumento, quia putat hoc esse anticipare divisionem paternam, sed potuit hoc fieri vel volente vel dissimulante patre. Et sanè quod Chamus totis centum & viginti duobus annis (tot enim vsq; ad divisionem vniuersalem terrarum à Noëmi ebrietate intercedunt) speculatus sit fugam à conspectu patris, nec antea se indè proripuerit, si Lactantio fidem habeam, qui fugam adstruit; nescio quomodo cum Saliano intelligere possim moram tam diuturnam.

ANNUS MUNDI 1788.

ANTE CHRISTUM 2265.

EX Heber Phaleg nascitur, ipso nomine prænuntians Orbis terrarū instantem divisionem. A diluvio anni fluxerant centum triginta duo, nulli steriles Noë nepotibus. Ingenti generationum numero auctam familiam conspicatus Patriarcha, sapienter decernit colonias diversis mundi partibus, quæ jam tot annorum decursu sylvescebant. *Et dividit quidem* (verba sunt Epiphaniij)

velut hæres mundi à Deo constitutus, tribus filiis suis vniuersum mundum sub sortem misit, & vna: inquamq; partem iuxta sortem singulis distribuit. Distributionem hanc seu potius designationem partium habitandarū ad hunc annum refert Salianus Iosephi testimonio fultus, qui inquit: *Porro Heberus Jectan, & Phalegum genuit, qui natus est dum habitationes distribuerentur.* Et S. Augustini, Bedæ, Arnobij Rhetoris, ac aliorum, duplicem terrarum divisionem agnoscentium, quarū alia verbo & quasi testamento Noëtico in ortu Phaleg facta sit, alia verò re ipsa in constructione Babylonicæ turris. Torriellus dubitat de tempore. Quidni? cum plerique veteres ac recentiores divisionem terrarū vtramq; differant ad confusionem linguarum. Et sanè totis 144. annis, qui inter ortum Phaleg & confusionem Babylonicam intercedunt, remorari occupationem terrarum post factam pridem antea distributionem, non nihil difficile est, & vel Noë præproperè testamentū ac ferè frustra condere diceretur, vel filij eius ac nepotes vniuersi suo Patri ac avo inobedientes agnoscerentur, qui non nisi à Deo coacti terras sibi assignatas peterent. Quidquid sit de tempore, cum certum assignari non possit, vivo Phaleg id accidisse non potest, sed quæ illa divisio? Epiphanio teste: *Ipsi quidem Sem primogenito cecidit fors à Perside & Bactris vsq; ad Indiam, & regionem Rhinocorurorum, quæ sita est inter Ægyptum & Palestinam è regione rubri maris. Ipsi verò Cham obtigit terra à Rhinocorura, vsq; ad Gades & meridiem. Tertio autem filio Japhet obvenerunt ea, quæ spectant ad Aquilonem, à Media vsq; ad Gades & Rhinocoruros.* Similiter ferè S. Hieronymus, qui de Japheti portione inquit cum Iosepho: *Horum sedes à Tauro & Amano montibus incipientes pertinebant in Asia ad annem vsq; Tanaim; in Europa vsq; Gades, in terris hæctenus vacuis occupatæ.* At de his paulò post plurà. Interim hoc & sequentibus annis cū multiplicarentur familiæ, laxatas non nihil habitationes, quàm

Ioseph. Antiq. l. 1. c. 6.
S. Aug. l. 16.
de Civ. DEI.
c. 10 Beda
lib. de sex.
ætate. Arnob.
in. Psal. 104.

Lact. lib. 2.
cap. 14.

Epiph. cit.

S. Hieron.
Ioseph. l. 1.
Ant. c. 6.

Epiphanius in
Ancorato.

quam nondum juxta Noëticam distributionem, credibile est; vti de Arphaxad paulò ante insinuatum, ne sine causa dicamus vno in cumulo hæfisse centum quadraginta quatuor, imò plurimum annorum generationes.

ANNUS MUNDI 1800. vsq; ad 1900.

ANTE CHRISTUM 2253. vsq; ad 2153.

DUm Noë annum agit 744. & feindies majore nepotum numero stipari videt, Hebero filius alter nascitur Jectan, à diminuendo appellatus, quod diminuerit sibi de mundi negotiis, vt vacaret rebus divinis, & Philosophiæ vt notat Genebrardus. Hic Indorum & Orientalium populorum genitor, apud quos Philosophia ab omni floruit antiquitate inter Brachmanes, Gymnosophistas, &c. Japhet verò noster annum nunc agebat 194. multà prole beatus. Anno verò 1850. nascitur proavus Abrahæ Sarug, filius Rhagani. *Quæ interpretari possis irritationem. Et incepit idololatria inter homines ac Græcismus velut cognitio, quæ ad nos devenit*, inquit Epiph. *Nondum autem in statuis & in scripturis lapidum aut lignorū, aut ex argento & auro, aut ex alia materia factis, sed solum per colores, & imagines hominis mens in seipsa malitiam excogitavit, &c.* Id quandò incipitum fit, manet in dubio; sub Sarug certè adulto, cum ejus nepos Thare, pater Abrahæ idola coluisse memoretur in sacris literis. Tam facilè corruptæ naturæ hominis inducitur veri Dei oblivio. Quis tunc sensus pio Noë, quis Semo & Japheto superstibus, cum ex se progenitos nepotes & pronepotes cernerent in veri Dei cognitione laborare!

ANNUS MUNDI 1900. vsq; ad 1931.

ANTE CHRISTUM 2153. vsq; ad 2122.

TAndem colonias suas recipiet orbis. An. mundi 1909. natalis fuit Thare patris Abrahæ, idēq; natalis prodigiosæ Turris Babilonicæ. Primum opus migrantium septuaginta duorum filiorum ac nepotum Noë, du-

bites tamen an omnium, hæc Turris fuit.

A. *Erat autem terra labij unius & sermonum eorundem. Cumq; proficiscerentur de oriente invenerunt campum in terra Sennaar, & habitaverunt in eo. Testatur Sacer historicus, sed mox adjungit: Et dixerunt: venite faciamus nobis civitatem & turrim, cujus culmen pertingat ad cælum: & celebremus nomen nostrum, antequam dividamur in vniuersas terras.* Tardi viatores, qui dum proficiscuntur Dei jussu, Noëmi hortatu, & campū inveniunt, vitulari incipiunt, faciamus nobis civitatem: vt quid civitas profecturis? nempè ambitio non in longum sed in altum tendit, culmen cælo æquare satagit, primum orbis malum & nescio añon primariū. Viginti duo anni ab hisce viatoribus insumpti sunt in turri ædificanda, & mox subsecuta, quæ dudum imperabatur in vniuersas terras divisio. Omnes homines ad opus concurrisse, arbitratur Tostatus, quotquot tunc vivebant, etiam Dei amatorem Noë cæterosq; Patriarchas; cui opinioni favent Chrysofostomus, & Josephus, ex recetiorum syllabo Pererius & Delrio. Negant probabilius Oleaster & Cajetanus, quorum hic soli Nemrod ejusq; familiæ ac subditis populis, qui multiplicati jam fuerant, structuram attribuit: neque id mihi displicet. Sanè omnes tunc concurrisse generationes, atq; adeò ipsum Noë, minus videtur rationi consentaneum. Facilius admitterem septuaginta duarū familiarum capita convenisse, & nonnullos operarios ex singulis tribubus accersitos, qui postmodum linguarū confusione depulsi dum redierunt ad suos, varietatem totidē linguarū ediderunt. Sed neq; hoc opus erat in tanta hominū copia, quæ multò fæcundior & longævior quàm hodie per spatium 253. ann. qui hæctenus à diluvio fluxerant mirum in modum aucta fuerat. Unus Nemrodo subjectus populus, qui cæteris potentior etiam regnum illic auspiciatus est, sufficiens erat ad moliendum opus, si superi finerent, immortale. Fuerit verò

Gen. 11. v. 1.

Genebr. an.
M. 1931.

Epiph. an.
Panar. in it.

Tosta. q. 3. in
c. 11. Genes.

S Chrysofost.
hom. 30. in
Gen Joseph.
11. c. 4. antiq.
Perer. l. 16. in
Genes. Delri. c. 11.
Gen.

idem labor plurimum aliorum; erat certè hominum & filiorum Adam. Paucos exemeris, Noë, Sem, Iaphet, Heber, Phaleg, quorum aliqui præter pietatem & religionem singularem, etiam spiritu prophetico ornati erant. Hos infani operis architectis terrorem potiùs, & minas iniecisse, quàm socias locasse manus vel consilia, crediderim.

ANNUS MUNDI 1931.

ANTE CHRISTUM 2122.

E Reptus quondam aquarum diluvio Noë, priusquam mundo Vallediceret, vidit novo scelerum diluvio mergi recentem posteritatem. Dignus siquis vnquam alius imperare, qui orbem totum dono dederat, quem cæteri per partes erant possessuri Reges & Principes, ei tamen sceptrum violenter abripuit Nembrothus Chami nepos primus inhumanum auspiciatus regnū, quo pari forte genitis velut maior præciperet, daretque leges subditis ipse futurus ex lex. Nam & veri contemptor Dei idololatra primum factus, mox & ipsemet idolum sub Beli nomine adorari voluit. Non contentus terreno regno in aëre quoque, & si cœlum admitteret, in ipso cœlo regnaturus coacta depravatorum multitudine Turrim per 22. annos molitus, nihil egit ampliùs, quàm vt immissa divinitùs in cognatum populum linguarum varietate, funesto divortio separaretur à suis, & quos paulò ante ejusdem secum mentis effecerat, mox loquelæ diversitate seunctos experiretur. *Quoniã dominatio imperantis in lingua est, ibi damnata superbia, vt non intelligeretur jubens homini, qui noluit intelligere, vt obediret Deo jubenti.* Observat Augustinus. Ergò vani operarij dum invicem alloqvuntur nec intelligunt, dimisso opere dudum imperatas deducunt per orbem colonias, Nembrodo ad inceptam Turrim & civitatem confidente & Assirium regnum auspicante. Nata sunt in hac confusione Baby-

S. Aug. l. 16.
de Civ. Dei.
c. 4.

A. Ionica, ex vnica prius vsurpata lingua, septuaginta duo idiomata, pro numero scilicet principum familiarum, quæ tunc vixerunt ex tribus Noëmi filiis Sem, Cham, & Iaphet. Digressi deinde latius singuli, & ab invicem separati, quas dudum forte terras acceperant, nunc vel inviti occuparunt, & mox nationum exinde & regnorum discrimina emerferunt. De Semi & Chami posteris aliorum fit cura: nos pauca de Iapheti nostri progenie libabimus.

Japheti Posteritas.

Japhet	
1. Gomer.	Riphat.
2. Magog.	Ascenez.
3. Madai.	Thogorma.
4. Javan.	Elisa.
5. Thubal.	Tharifs.
6. Mosoch.	Cethim.
7. Thiras.	Dodanim.

Totidem recensentur in sacro textu attestante: *Ab his divisæ sunt insule gentium in regionibus suis unusquisque secundum linguam suam, & familias suas in nationibus suis.* De his breviter ita differit Genebrardus: Iaphet, cui contigit septentrionalis regio à Tauro & Amano montibus Ciliciæ & Syriæ, vsque ad Gades. Gomer Galatarum, sive Gallorum: Magog Scytharum vndè & Hebræi Scythiam hoc appellant nomine, quod & Hieronymus & Josephus testantur: Madai Medorum: Javan Jonum, sive Græcorum, vnde in Hebræo Græcia nominatur Javan. Isai 66. Ioël 3. Daniel. 8. 9. &c. & Græci Jones & quinta eorum lingua Ionica, & mare Jonicum &c. Thubal Hispanorum, sive Iberorum, Isai. 66. Mosoch Moscovitarum, quorum Metropolis tempore Hieronymi Mazaca. Thyras Thracum, ex Gomer Ascenez Germanorum, Riphath Riphæorum, vbi & Riphæi montes:

Gen. 10. v. 5.

Genebrard.
ad an. M.
1694.

tes: Thogorma Sarmatarum (recentioribus Hebræis Turcarum) ex Iavan Elifæorum sive Æolidum, unde lingua Græcorum, quarta Æolica. Tharsis Cilicum, quorum metropolis Tharsus. Cittim Cypriorum, quorum civitas Citium, quæ nobis Zenonem Philosophum peperit, Dodanim Epirotarum apud quos Dodonæum oraculum, Rhodamin (nam I. Paralipomenon additur) Rhodiorum. Hæc Genebrardus Sed aliorum quoque placita referamus.

GOMER.

Quos nunc Græci Galatas vocitant: Gomarenfes olim dictos, Gomer condidit. Sic Josephus: addit Salianus: *Ezechiel Gomeritas inter populos Aquilonares ponit, Aquilonares inquam Iudæis, in quorum perniciem illi arma dicuntur sumpturi: Eos ibi Vatablus & Saad Galatas interpretantur, & ante eos Hieronymus & Procopius Gazæus. Eusebius lib. I. Chron. Græci, eum Cappadocum parentem facit. Verùm Arias Montanus in Phaleg eos ad Cimmericos relegat. Ait enim Gomeris filios eos esse, qui dicuntur à Mela Comari, ab aliis Cimmericij, sive Cimbri, non repugnante Merula. Si placet utrosq; conciliare, dicemus filios Gomer primo Galatiam occupasse; dein abundante multitudine Pontum Euxinum cuius sunt accolæ trajecisse, & in Cimmericis sedem fixisse. Comaros Ptolomæus inter Sacas collocat, nec puto ab eo dissentire Melam, qui in descriptione Asiæ Comaros, sicut & Massagetas ponit super sinum Caspium id est ultra mare Caspium ad orientem: quæ regio sine controversia ad Semi sortem pertinet non Japheti. Nihil hic determinat Author, nisi quod pntet Galatiam primo occupatam à Gomeritis, postea Asiam super sinum Caspium vel Pontum Euxinum: quod nisi coacti & pulsati ab aliis populis facerent, non est verosimile; quia regionem deterioris pro meliore sortiti fuissent. Cluverius amplectitur opinionem postremò insinuatam à Saliano: cum in-*

A. quit: *Gomer cum suis eas Asiæ terras obsedit quæ inter Paroparnisum Innaumque montes interque Oxi confluentem, & Carambucis, sive Obii fluminis magnum lacum sita est, ab eo gens dicta Comari, quos Ptolomæus ad Iaxardem amnem collocat. Mela quoque eodem tractu super Caspium mare. Sed quia Cluverius Iapheti Soboli solam Europam attribuit, nescio quomodo Gomeritas ad Caspium mare ableget, ad portionem videlicet Semo assignatam. Ego hic malim assentiri Josepho, qui Gomarenfes eosdem putat cum Galatis. Sanè Galatæ & Celtæ fuerunt populi Aquilonares, qui longè latèque per septentrionem diffusi tandè etiam Græciæ partem occuparunt & de suo nomine Galatiam appellarunt. Celtæ vt alibi monvi dicti sunt à Græcis Galatæ, & Keltæ à veteri nomine Germano. quasi die *Kalten*, quia etiam à scriptoribus antiquis dicti sunt Hyperborei à vento frigidissimo, quo facit locus Strabonis. Veteres Græcorum scriptores universas gentes septentrionales Scythas, & Celsoscythas appellarunt. Qui verò ante hos adhuc gentes diviserunt, *Suprà Euxinum, Istrum, & Adriaticum mare colentes Hyperboreos dixerunt, & Sarmatas, & Arimaspos.* Celtarum igitur author fuit Gomer, non Asiaticorum, qui Romanorum florente imperio in Asia confederunt, sed qui Europam inhabitaverunt, à quibus deinde Asiatici suam traxerunt originem. In hujus rei confirmationem facit locus Ezechielis. *Gomer & universa agmina ejus, domus Thogorma, latera Aquilonis, & totum robur ejus*, quo indicatur vicinos fuisse Gomeritas & Thogormitas, ambos populos Aquilonares, & Hyperboreos. Hæc de Gomere primo Japheti filio.*

MAGOG.

Alter Japheti filius: *Magogarum à se denominatorum fuit Author, qui ab ipsis vocantur Scythæ*, inquit Josephus, quem sequuntur Hieronymus

Joseph. l. i. c. 6 antiq. Salian. ad hunc an.

S. Hieron. in trad. Hebr. Gazæus in c. 10. Gen. Eusebius. l. 1. Chron.

Ptol. lib. 6. c. 13.

Clev. Ger. lib. 1. c. 4.

Strabo. l. 11.

Ezech. 38: v. 6.

Joseph. cit. suprà.

Arias Mont.
& Cluv. cit.

nymus & Procopius. Sed Arias Montanus, quem sequitur Cluverius, vult esse Massagetas, qui tamen extrà fortem Iapheti fuerunt. Chronicon Alexandrinum ex Magog deducit Aquitanos, Eusebius Celtas seu Galatas. Alii apud Authorem Chronici dicti derivant ex Magog Gothos, Sarmatas & Scythas, intellige verò Europæos. Ego de Gothis libenter id admisero, tum quia populi Aquilonares & Europæi, tum quia, cum à septentrione omne malum. Ezechiel de Gog & Magog prophetans inquit: *Fili hominis pone faciem tuam contra Gog terram Magog, principem capitibus Mosoch &c. & educam te & omnem exercitum tuum. &c.* quæ sanè indicant saltem vicinos fuisse Magogos, Mosoch populis, qui secundum communiolem sententiam sunt Moschi seu Moscovitæ vt mox dicam: fuisse autem maximè vicinos Moscovitis Gothos vtpote è Scandinavia insula profectos, nemo ignorat, qui hodiernum provinciarum situm novit.

MADAI.

Tertius Iapheti filius Medos progenit consentientibus ferè scriptoribus. Hieronymo, Procopio, Josepho, Lyrano, Tostato, Eugubino, Lipomanno, Pererio, Cluverio, aliis apud Salianum, qui tamen bona ratione dissentit, ne Japheti Soboli attribuat portionem Semi. Putat ergò Salius Medos à Madai progenitos non fuisse Asianos illos Caspio mari subiectos, Hircanis, Parthis, Persis, Assiriis, Armeniisque conterminos, sed Medos Thraciæ populos Macedonibus vicinos, de quibus Ptolomæus in Europæ Tabulis inquit: *Versus Macedoniam autem & Ægeum mare similiter Prætura sunt, Medica, Drosica Caletica &c.* Sed hæc omnia sunt conjecturæ.

IAVAN.

Quartus Japheti filius Jonum auctor à quibus & Jonium mare,

vt volunt Hieronymus, Eusebius & alii. Strabo tradit Jonicam eandem esse cum antiqua Attica, & prisceos Athenienses Jonum nomen gessisse, quos etiam Homerus appellavit Iasonas, quasi Iavas. Conveniunt in hoc ferè scriptores: dubitat Cluverius, sed dubitandi rationem non affert. Alij Joniam primam latè extendunt ad ipsum mare Adriaticum, imò ad Macedoniam, & Epirum: de quo vide Apparat. cap. VI. §. I.

THUBAL.

Josepho & septuaginta interpretibus scribitur Thobel. Thobelis sedem dedit, qui nunc sunt Iberi, vt dicit Josephus, & cum eo Hieronymus, Arias Montanus ait constantem esse apud Hispanos famam, quod Thubal fuerit primus illius regionis cultor, de qua re pluribus Villalpandus. Applaudit Salius: obmurmurat Cluverius, qui vult Thubalitas locare in minore Scythia, quæ nunc est Tartaria minor. nec caret ejus opinio fundamento, allegat enim textum Ezechielis in quo propheta Mosoch & Thubal conjungit quasi populos vicinos; certum autem est, quod viciniore sint Tartari Moschis quàm Hispani. Verba Ezechielis paulò ante relata sunt; *contra Gog terram Magog, principem capitibus Mosoch & Thubal.* Et quid si isti Thubalitas forent iidem cum Scythis, quos Jornandes Thaisalos appellat? quasi Thuibalos? ex quibus prædierunt Hunni.

MOSOCH.

Sextus Japheti filius de cujus gente variè differitur. Chronicon Alexandrinum Cappadoces ei attribuit, quod Mazaca primaria Cappadociæ vrbs postea Cæsarea dicta & DD. Basilio ac Gregorio Nazianzeno nobilitata, à Mosoch seu vti nunc legitur mutatis punctis *Mesbec* suum etymon trahat. Beroaldus tribuit hoc nomen populis

Ezech. c. 38.
v. 1.

Hieron. Procop.
Joseph. cit. Isidor.
l. 6. orig. c. 2.
Sal. hic. Clu. cit.

Ptol. lib. 3.
c. 11.

Hieron. in Trad. Stat. l. 9. init.

Cluv. in Ger. antiq. cit.

Joseph. Hier. Jit. Montan. in Phæleg.

Villalp. in Ezech. c. 27. Salius hic Clu. cit. sup.

pulis vicinis Syriæ & Arabiæ observans in illo Psalmi versu: *Heu mihi quia incolatus meus prolongatus est, habitavi cum habitantibus Cedar*, quod in Hebræo legitur: *Heu mihi quia peregrinor inter Mesech & ago in tentoriis Cedar*. Ex quo colligit populos Mosoch vel Mesech vicinos esse Arabibus Cedarinis. Sed Mesech hoc loco adjectivè sumitur pro dententus aut diu prolongatus, productus, id enim significat. Receptissima opinio est Mosoch populos esse Moscovitas, quibus adhuc primitiva nuncupatio adhæret. Ità censent Genebrardus, Arias Montanus, Mercerus, Salianus. Quare minus rectè Mosoch in Albaniam & Colchidem, ad Caucasum usque montem proturbat Cluverius.

THRAS.

Septimus Iapheti filius, eorum populorum genitor, quos Græci Thraces, quasi Thiraces appellant. Ità sentiunt Josephus, Hieronymus, Isidorus, Eusebius, Arias Montanus, Pererius, Abulensis, Cluverius, alij. Vtramque Istriseu Danubii ripam antiquitus coluere Thraces. Strabo illis adscribit etiam Getas, qui Romanis Daci dicti sunt, & Mysios seu Moesos, qui nunc Bosnenses & Servii. Idem tradit Mela, & videtur citrà controversiam res esse. Hæc de Iapheti filiis: nunc pauca etiam de ejus nepotibus.

THOGORMA GOMERI filius.

A Juniore incipio, quem Josephus Tygrammen appellat, *Tygrammanis originem dedit, quos Phrygas Græcis libuit vocare*. Sequitur Hieronymus, Isidorus, Theodoretus, & alij. Arias Montanus, hos Turcas esse putat, vnde Iudæi Turcarum Imperatorem vocant Thogor, & Turciam Thogorma, vt aiunt Postellus & Vatablus. Aliis Thogorma dicitur Germa-

nia, vt Paraphrastes Chaldæus in Ezechielem, & Villalpandus habent. Placet Saliano alterutra opinio, vt vel Turcæ sint vel Phryges Thogormæi. Cluverius nullo modo vult assentiri, putans, quòd Thogorma sit Germania, idq; ad longum conatur ostendere, qui potest videri.

RIPHAT ALTER GOMERI filius.

A Uthor Riphæorum populorum à quibus & montes acceperunt nomen. Ità Montanus, Merula, Ortelius, Cluverius, alii. Ptolomæus collocat eos ad fontem fluminis Thanais, qui in Moetidem paludem influit. Josephus putat Riphatæos appellatos, qui nunc dicuntur Paphlagones, & sequitur vti aliàs, S. Hieronymus; verùm, vt advertit Salianus, Galatia jam occupata erat, cujus pars septentrionalis, ad Pontum Euxinum est Paphlagonia. Eusebius Riphat patrem Sauromatarum facit. Ab his omnibus dissentit Cluverius, qui Riphatæos tradit esse Russos magnæ Russiæ populos, imò omnes vniversim Slavos. Ait enim: *Riphæi sive Riphaces propriè fuerunt omnes illæ nationes, quæ posterioribus seculis vno in vniversum nomine Slavi clarius innotuerunt*. Sarmatas autem vicinos putat dictos à Thogormat, vnde postea corruptâ voce natum nomen Sarmat, & Sarmatæ, ac Sauromatæ: non enim vult Sarmatiæ nomine Russos, Polonos, Lithuanos & alios populos comprehendere, quod tamen plerique alij authores faciunt.

ASCHENES PRIMOGENI-tus Gomeri.

J Osephus Aschanaxem scripsit, *qui originem Aschanaxis dedit, qui nunc Rhegines à Græcis nominantur*. Torquent se authores in peruestigandis populis, qui Rhegines dicti fuerint. nulum quippe vestigium apud antiquos repe-

Psalm. 119. v. 5.

Genebr. in Psal. i. Mon. in Phaleg. Mercerus in Thesau. Pagnini. Sal. adhunc an. Clu. Germ. antiq. lib. i. c. 4.

Joseph. l. 9. c. 2. Hieron. in trad. Isid. de Orig. l. 15. n. 19. Euseb. l. 1. Chron. Perer. in Gen. Abul. in Gen. c. 10. Clu. c. sup. Strabo. l. 7. Mela. l. 2.

Joseph. cit. Hieron. cit. Isidor. sup. Theod. in Fzech. c. 27. Mont. cit.

Villalp. c. 27. Ezech. Salia. Cluver. cit.

Montan in Phaleg. Ort. cap. 7. cum Plin. lib. 4. c. 12.

Joseph. sup. S. Hier. sup.

Clu. cit. l. i. c. 4.

Joseph. cit.

Julian lib. 4.
Euseb. l. i.
Chron.

Salian hic
n. 31 Clu. cit.

reperitur, ut putat Salianus, sed tamen Iustinus eorum meminit. Eusebius ex Aschenes ait procreatas gentes Gothicas, cui consentiunt hodie Iudæi ait Merula, qui Alemannos vocant Aschenacim. Salianus Germanos univrsim, Cluverius Gothos, Germanos, Illyrios, in unum cogens totam penè Europam Aschenaci tribuit: *Reliquum omne, inquit quantum sub variis nominibus, Illyrici, Germaniæ, Galliæ, Hispaniæ, & Britannicarum Insularum, ad Hyperboreum usq; mare, quâ id Lappiam ac Norvagianam perfundit, & ad Oceanum Atlanticum protenditur, quanquam terrarum spatiis vastissimum, tamen quia omnium remotissimum, unus solus sortitus est Aschenaces, omnium parens conditorque Celtarum, à quorum nomine universæ prædictæ regiones, commune sortitæ sunt vocabulum Celticæ. Quod si ita esset, jam certi essemus de conditore Japidum, qui ad veterè Celticam pertinuerunt. Video authores in hoc convenire, quod Germani univrsim ab hoc Aschanace vel Aschenace originem traxerint: licet adhuc inter scriptores diffidium sit, quinam populi Germanorum vocabulo comprehendantur. Certè ipse Cluverius excludit à Germanis Illyrios, & quidquid diversâ utitur linguâ: an benè, id alio loco videbimus. Sed præter Germanos vult Cluverius ab Aschenace deducere Gallos, Hispanos, Britannos: id non admiserim in primis mundi coloniis, si Thubal, ut supra dictum est, Hispanis originem dedit.*

ELISA IAVANI FILIUS

Alisa Josepho, qui Alifæis nomen dedit, hodie hi sunt Æoles: ita statuunt Hieronymus, Isidorus, Procopius, passim alii. S. Hieronymus Insulas Elisæ, de quibus Ezechiel: *hi acyntibus & purpura de Insulis Elisa facta sunt operimentum tuum.* interpretatur insulas Jonii maris: Theodoretus & Polychronius insulas Græciæ

Hier. Ifid.
Procop. in
Ezech.
Ezech. 27. v.
7 Theod.
Polychr. ap.
Salian n. 34.
Euseb. l. i.
Chron.

A. Ægæi scilicet maris: Chaldæus verò Paraphraustes Insulas Italiæ, ut notat Vatablus & Sà. Eusebius ex Elifa Siculos profectos dicit; Beroaldo, Merulæ, & Pererio Elyfij Campi & fortunatæ Insulæ occurrebant: omnia sunt tantum conjecturæ.

THARSIS ALTER JAVANI FILIUS.

Tharsensibus nomen & originem dedit. Sic olim appellabatur Cilicia. Cujus rei signum est Tharsus urbium ejus celeberrima cæterarumq; princeps, ait Josephus consentiunt Recentiores: nec vidi, qui contradiceret; nisi quod Arias maluerit intelligere Carthaginem, de quo vide Salianum.

Ifid. Lyran.
Lippoman.
Beroald. Me-
rula. Perer.
Ribera. Salia.
n. 35. Clu.
cit.

CHETTIM TERTIUS JAVANI FILIUS.

Chetteorum princeps & conditor Pleraque loca maritima Hebræi gentili voce Chettim significant Chetteos septuaginta scribunt Cithios, unde Citium Cypri vrbs. Putat igitur Salianus Cyprios à Chettim derivatos, quin & Macedones, & vocatur Macedonia terra Chettim, quia ut ait Epiphanius in Macedonia genus Cypriorum ac Rhodiorum habitavit. Italia quoq; quia penè undique mari supero infero, Ionico cingitur pro Insula reputatur ab Hebræis, & Cethim five Chittim appellatur n. 24. ubi Hieronymus vertit Italiam. Chaldæus Paraphraustes & Hierosolymitanus ponit Romanos. Eusebius dicit à Cethim profectos esse Latinos five Romanos unde Suidas: *Latini, qui nunc Romani. Telephus enim filius Herculis, qui cognominatus est Latinus, olim dictos Cetios five Citios, Latinos mutato nomine nuncupavit, qui rursus Itali, ex quoquam Italo, qui regioni dominabatur.* Subit hic suspicari à Cethim etiam propagatos populos, qui regionem hodiernæ Austriæ & vicinarum Provinciarum usque ad mare & fortè usque ad Macedoniam

S. Epiphanius
Hæc. 30.

v. Salian. hic
n. 37.

Suidas verbo
Latinus

doniam occuparunt. Argumento & mons Cetus inde fortassis dictus longissimo tractu à ripa Danubij in Carnioliam vsque protensus, vt alibi trado: deinde vestigia antiquissima Hebraicæ linguæ quamvis corruptæ in Austria, vt videre est apud Lazium. Credibile fanè Javani filios non procul à parente suo Javano (quem Janum aliqui putant) confedisse: & cum Janus seu Javanus Jonicum sinum Elisa Cyprum & insulas vicinas incoluit, Macedoniam Epirum, & quod hodie Liburniæ ac Dalmatiæ, olim etiam Japidiæ attributum est vsque ad Danubij ripas tertius filiorum Javani forte acceperit possidendum, à quo deinde Ceti dicti populi, qui totam Italiam sensim occuparunt, quibus ex Pannonia & vicinis regionibus vsque ad mare Adriaticum pulsus successerint Celtæ, & Galatæ, de quibus aliàs.

DODANIM QUARTUS JAVANI FILIUS.

Condidit Rhodios teste S. Hieronymo, Eusebio, Isidoro, alij volunt Dodanam Molossiæ in Epiro urbem, non ineptè fortassis, cum fratri fratrem proximum faciant Macedonum auctori, authorem Epirotarum. Sed hæc omnia meræ sunt conjecturæ, certitudo nulla. Summa in rebus tam antiquis caligo. Et hæc de filiis ac nepotibus Japheti, quos populorum in Europa conditores agnoscunt scriptores omnes, tametsi nullum in particulari singulis populis assignare possint. De Japidibus nostris mea conjectura est dictos antiquitùs & primitùs à Japhet, quem Græci Jepetum dixerunt, quasi Japetides: non quod ab ipso Noë filio Japhet immediatè originem traxerint, sed ab vno ejus filiorum aut nepotum in memoriam avi tali nomine sint insigniti. Iapetum finxit antiquitas Cæli & terræ filium. Cælus

vti apud Masculum lego dictus est etiam Noë pater Iapheti. Verum quia plures fuerunt Iapeti, non à filio Noë, sed ab alio Iapides orti sunt. Genuit Iapetus Prometheus, qui homines è luto formavit & igne de cælo sublato animavit. Prometheus Deucalionem Regem Thessaliæ, cujus tempore ingens diluvium contigit, vnde Poëtæ finxerunt, eum jactis post tergum lapidibus reparasse genus humanum, ab hoc fortè Iapides vel Iapetides ortum habent; Thessalia quippè non nimium remota est à veteri Iapidia; hic post diluvium univèrsale propagavit homines quasi jactis post tergum lapidibus, cum posteros suos in has oras lapidosissimas colendas misit. Et quia Deucalion vnus ex antiquissimis Thessaliæ Regibus fuit, quo tempore nondum Thessalia sed Æmonia denominabatur, meritò illum quasi protoparentem agnoscere potest Carnioliæ nostra, cujus primaria olim vrbs Æmona ab altero Thessalorum principe Iafone nomen & primam originem accepit, in memoriam fortassis ejusdemmet Deucalionis, qui primos inquilinos huc miserat; filius vt dicebam Promethei, nepos Iapeti, diversi à Noë filio non nominatus in sacris literis. Hæc fateor me tantum modò divinare, revocare paratus, si meliora videam produci ab aliis. Quod si quis insistere velit opinioni Cluverij, qui ab Aschenace omnes tam Illyricos, quam Germanos propagatos contendit, non multum refragabor. Illud tamen occurret semper memoriæ, veteres Historicos non satis aptè scripsisse Adriatici maris accolæ Celtas & Gallos non indigenas fuisse, sed advenas; idque antiquissimis temporibus, adeoque populum peregrinum commixtum inquilinis veteribus, si omnes Illyrij pariter & Germani, quorum alterutris adscribi oportet Iapides, ab vno eodemque Aschenaze propagati fuissent. Occurret Clu-

Masculum
com. patri-
arch. init.

Laz de mi-
grat. lib. 1.

S. Hieron. in
Trad. Euseb.
lib. 2. Chron.
Græc. Isidor.
ap. Salian.

verio effugium, ejusdem generis populum per varias migrationes alio, & alio translatum, successu temporis peregrinum fieri, qui erat indigena, & nihil mirum hodie Westphalos aut Saxones peregrinos censerii in Suevia, tametsi utriq; eandem originem habeant à Tuifcone aut Alemanno, aut quis quis ille fuit, qui primus Germanos propagavit, quia longo annorum tractu & successione generationum, variaque insuper indivasas regiones migratione sensim cognatio interit, & inter ipsosmet cognatos populos oblivione sepelitur. Non nego: Cluverij tamen conjecturæ non plus quàm meæ tribuo. Et facilius crederem Illyrios ab aliquo Aschenacis fratre, quàm ab ipso Aschenace ortos esse, ut solos Germanos Aschenaci relinqua, ab his quippè Illyrij pleriq; linguâ, moribus, genio, ingenio plurimum diffident: non ita inter se variæ Germanorum nationes. Maneat igitur Japides nostros à Japeto cognominatos, à Japeti nepote Deucalione, uti deinceps ad an. Mundi 2530. dicam, propagatos: omnium primos hujus regionis inquilinos fuisse; ac linguâ (si divinare ulterius licet) Græcâ vsos, cum vicini Cetij Hebraico fortè idiomate vterentur. Successere his Hyperborei dicti & Celtæ adventæ populi septentrionales, qui vel pulsif inquilinis prioribus, vel illis commixti maritimas, & vicinas mediterraneas regiones vsque ad Romanorum tempora habitaverunt, linguâ vsi Germanâ licet in multis per cohabitationem cum Græcis, ac fortè nonnullis Hebræis, corrupta. Id licet colligere ex vocabulis multis, quorum apud Germanos est vsus adhuc hodie, quæ cum Græcis & Hebræis symbolizant, uti ad longum deducit Lazius. Dixi Japides nostros primis illis temporibus Græcâ linguâ vsos, id persuadet mihi Græciæ propinquitas, & initio statim ejus Monarchiæ amplitudo, deinde etiam auctoritas S. Hieronymi, qui de hoc agens in-

A. quit: *Legamus Varronis de Antiquitat. libros, & Cinnij Capitonis, & Græcum Pblegonta, ceterosque eruditissimos viros, & videbimus penè omnes Insulas, & totius orbis littora, terrasque mari vicinas Græcis accolis occupatas, qui ut supra diximus, ab Amâno & Tauro montibus, omnia maritima loca vsque ad Oceanum possedere Britannicum.* Sic Hieronymus. Ex quibus deduco primævos illos Japides nostros cū Græcis quasi vnum populum fuisse, quibus deinde Celtæ permixti novum populum effecerunt. Ubi verò primum & quæ loca speciatim colere cæperint, quas vrbes & quando condiderint, id sanè pridem oblivione consepultum est. Paucarum vrbiū ortum antiqui produunt scriptores, uti suo loco referimus.

ANNUS MUNDI 2258.

ANTE CHRISTUM 1795.

Alerum hoc Anno contigit à vetustis scriptoribus memoratū diluvium, de quo hæc Orosius: *Ante annos vrbis conditæ millequadragenta in Achaia sævum diluvium vastatione plurima totius penè Provinciæ fuit, quod quia Ogygis, qui tunc Eleusinae conditor, & Rex erat, temporibus effusum est, nomen loco ac tempori dedit.* Meminit ejusdem inundationis S. Augustinus inquit: *Ogygius ipse quando fuerit, cujus temporibus etiam diluvium magnum factum est, non illud maximum in quo nulli homines evaserunt, nisi qui in arca esse potuerunt, quod gentium nec Græca nec Latina novit historia, sed tamen majus quàm postea tempore Deucalionis fuit.* Verosimile est hoc tempore populos ex Achaia pulsos & inundatione territos ad montana confugisse Macedoniæ, Epiri, & littora maris Jonij seu Adriatici. Nam Achaia à septentrione respiciebat Macedoniam ab occasu Epirum, à meridie mare Jonium seu Adriaticum, quibus omnibus vicini deindè Japides montosa circa Adriaticum incolentes.

Paul. Oros. l. 1. c. 7.
Maria. Scot. ad ann. M. 2439.

S. August. l. 1. c. 7. de civit. Dei. c. 8.

Laz. de Migrat. gent. lib. 1.

S. Hieron de Tradit. Heb.

AN.

ANNUS MUNDI 2370.

ANTE CHRISTUM 1683.

JApeti filius, non illius, quem inter Noë filios recensuimus, sed alterius junioris Prometheus hoc tempore homines è luto format. Eusebius & Marianus Scotus ex Africano hæc describunt: *His temporibus secundum quorundam opinionem, Prometheus fuit, à quo homines factos esse commemorant: & reverà cum sapiens esset, feritatem eorum, & nimiam imperitiam, ad humanitatem & scientiam figurabat.* Alij paulò tardius, alij hujus ætatem reponunt, vt S. Augustinus ad Ann. circiter Mundi 2464. quo natus est Moyses. Habuit Prometheus, triginta fratres, quorum apud veteres scriptores nominantur Epimetheus, Buphagus, Menoetius, Atlas à quorum fortè Menoetio vel Monetio, vrbs Japidæ Monoetium condita nomen accepit. Atlas peritus Astronomiæ Poëtis occasionem dedit fingendi quod cælum ruens sustentaverit, vel certè quia ejus nominis mons est in Mauritania præaltus, cujus cacumen Sydera quasi videtur contingere. Filius Promethei fuit Deucalion, de quo infra, & filia Jo, vt habet Marianus Scotus, quam tamen alij tribuunt Inacho Argivorum Regi: sed plures ejusdem nominis fuisse credibile est, cum etiam Jo Jasi filia in Ægyptum profecta Isis ab Ægyptiis appellata sit, vt Pausanias refert.

ANNUS MUNDI 2530.

ANTE CHRISTUM 1523.

Diluvium inter memorabilia terrarum antiquis celebratum Historicis, quin & Poëtarum fabulis aspersum, dictumq; Deucalionæum à Deucalione Rege Thessaliæ in hunc annum refert S. Cyrillus adjuncta Phaëtonis deflagratione, cui consentiunt Eusebius & Clemens Alexandrinus. Ab hoc Deucalione probabile est Japides propagatos à Japeto, cujus nepos erat,

Acognominatos postquam Thessaliâ & ferè universâ Græciâ inundatione aquarum obrutâ incolas ad montana fugientes, cum non posset restituere ad vicinas dimisit regiones lapidasas & arduas, veluti ab imbrium & aquarum damnis securiores. Fuit Deucalion vir bonus & pius inter suos, qui Deorum etiam immortalium primus templa ædificavit, & civitates condidit teste Apollonio, qui canebat:

*Est tellus quadam circumdata montibus altis,
Irrigua atq; ferax herbarum, hic namq; Prometheus
Filius Japeti clarum edidit Deucalionem:
Condidit hic primus vrbes ac templa Deorum.*

Apollon. l. 3.

Uxorem habuit hic Deucalion Pyrrham, ex qua sustulit Hellenem filium à quo Græci vocati sunt Hellenes, Æmonem filium à quo Thessalia prius appellata Pyrrha dicta est Æmonia, & demum ab Æmonis filio (alij volunt Iasonis) Thessalo dicta est Thessalia, vt his versibus indicat Cretensis Rhianus.

*Hanc Pyrrham dixere Patres de nomine Pyrrha,
Uxor prisca fuit quamagni Deucalionis,
Æmonia est & rursus ab Æmone dicta Pelasgo
Quem clarum genuit natum, hic at Thessaloniam
A quo Thessalici populi sunt inde vocati.*

Rhian. ap.
Nat. Com.
Mythol. l.
8. c. 17.

Idipsum videtur attingere Plinius cum ait: *Sequitur mutatis sæpe nominibus Æmonia. Eadem Pelasgicam Argos, Hellas eadem, Thessalia, & Dryopis semper à Regibus cognominata. Ibi genitus Rex nomine Græcus à quo Græcia: ibi Hellen à quo Hellenes.* Porrò quale fuerit Deucalionæum diluvium Apollodorus disertè docet, cum non absimilia Noëtico diluviò tradat. Ait quippè: *Ubi prolem æneam tollendam Jupiter censuit, Deucalion Promethei filius ejus consilio fabricata è lignis arca, in eamque ad vitam transigendam rebus necessariis impositis, cum Pyrrha ingressus est. Mox Jupiter largè effusis de cælo imbribus maximam Græciæ partem cooperuit, vt quidquid in ea mortalium foret interiret præter admodum paucos, qui in altissimos circa montes confugerant. Tum verò Thessalicos montes aquarum*

Plin. l. 4. c. 7.

Apollod. l. 1.
de Deor. origine.

Euseb. in Chron Scot. ad ann. M. 2509. S. August. l. 18. de civ. c. 8.

Natal. in Mythol. l. 4. c. 6.
Jo. Ravifin Epith. Marian. Scot. ad ann. M. 2557.

Pausan in Lac. p. 101.

S. Cyrill l. 1. cont Julia. Euseb. in Chron. Clem. Alex lib. 1. Strom.

rum diluvij immunes fuisse ferunt. Et mox iterum: Quo tempore Deucalion novem dies totidemque noctes pelago circumlatus Parnassum demum appulit. Meminerunt hujus inundationis & diluvij præter allegatos, S. Hieronymus, S. Augustinus, Paulus Orosius, Varro, Higynus, Aratus, Lucianus, Pausanias, & Chronologi ferè omnes. In tempore discrepant, nam alij multis annis tardius id accidisse volunt, de quo vide Salianum. Alij dudum ante, & id confundunt cum diluvio Noëtico, vti colligitur ex S. Justino Martyre, qui censet Deucalionæum diluvium à gentibus mutuatum ex facris literis, vnde ait: *Deucalion solus hominum relictus, in secundam videlicet generationem, prudentiæ simul & pietatis gratiâ. Servatus autem fuit hoc pacto: arcam quandam magnam, quam ipse habebat, impositis in eam & liberis & uxore sua ascendit. Cæterum cum ipse ingrederetur, venerunt eodem, & apri, & equi, & Leonum genera, & serpentes aliaque quæcumq; tellure pascuntur, bina ex unoquoque genere cuncta.* Hæc Justinus ad mentem gentilium. Et ne dubites diluvium Noëticum idem existimatum à gentilibus cum Deucalionæo, vel saltem cum eo confusum, facit huc locus Plutarchi: *Qui fabulas narrant, ij columbam ajunt ex arca emissam Deucalioni certum indicium detulisse tempestatis, cum rursus ingrederetur: serenitatis, cum avolasset.* Quod ipsum de columba referunt sacræ literæ.

ANNUS MUNDI 2544.

ANTE CHRISTUM 1509.

MOyses ab ipsa sui nativitate per prodigia ductus, ex pastore fit Dei Legatus, & attritis per ingentes plagas Ægyptiis Israëlitas ex acerbissima servitute educit, cum per elementa stipendiaria fregisset Pharaonem. Eodem anno Jobum illum invictum cum Doemone luctatorem ætatis anno 217. post geminatam à miseris felicitatem excessisse è vivis nonnulli

putant. Et si quæ fides Aventino quemque ipse alacriter sequitur Annij Viterbiensis Berofo, vivebat nunc Hercules ille Alemannus postremus vetustissimorum Germaniæ seu Celticæ, Regum, cujus primogenitus Norix & minimus natu Bojus, hic Bavaros, seu Bojarios, ille Noricos à se denominavit. Recens Bojorum Historicus hoc fabulosum putat de Boijs, & illud præsertim, quod Aventinus scribat Boij & Norici fratrem fuisse Hunnum à quo barbara illa natio Hunnorum profluxit, quam ex probissimis authoribus constat multis post seculis è nescio quibus Scythiæ paludibus emerfisse. Et sanè toto cælo diversi mores nihil inter hos populos cognationis admittunt, præsertim congenitum Hunnis odium in Germanos, de quo multa Thomas Lansius in consultatione Provinciarum.

ANNUS MUNDI 2558.

ANTE CHRISTUM 1495.

AMphyctyon Deucalionis filius tertius Atheniensium Rex dominatur Athenis, quo eodem tempore fortè patris ipsius & cognati, seu avunculi, quia multi numero, vicinas oras suâ implebant posteritate, & sensim Japidum crescebat numerus & potentia. Pro Amphyctyone reposuit Marianus Scotus Dionysium, secutus exemplar Latinum Eusebij incorrectum, vt notavit Scaliger. Abhinc tardius novem annis Lacædæmon condita est, vt habet idem Scotus.

ANNUS MUNDI 2476.

ANTE CHRISTUM 1477.

Dardanus in Phrygiam trajicit, & à Rege Teucro obtinet terræ portionem, in qua urbem condit de suo nomine dictam Dardaniam, ductâ in uxorem Teucris filia Batea, ex qua filium Erichtonium regni successorem suscepit. Erichtonio natus est Tros, qui maluit urbem à se Trojam, quam ab

Avent. l. i. Annal.

Adelzreit. in Annal. Bojor.

Thom Lans. in Consult. Provinc. Orat. cont. Hung.

Euseb. in Chron. Marian. Scot. ad an. M. 2696.

Scal. de emen. temp. Marian. Soot. cit.

Salian. ad hunc ann. Petau Ration. temp. P. l. l. c. c. c.

S. Hieron. in Tract. S. August. l. 18. de Civ. c. 10. Varro ap. S. Aug. l. 1. Hygin. c. 152. Aratus in A. quar. Lucia. in Timo Pausa. l. 10. Sal. an. præf.

S. Justin. Apolog. i. contra gentil.

Plut. comment. de solert. animal. n. 28.

Salian. ad hunc an. Auth. Flosc. Hist.

avo Dardanium appellari. Trois filius Ilus Ilio nomen dedit, genuitque Laomedontem Priami patrem, sub quo Troja everfa concidit.

ANNUS MUNDI 2581.

ANTE CHRISTUM 1472.

Belus ex Achinoe Nili filia geminos fufceperat filios, Danaum & Ægyptum, quorum illum in Africa, hunc in Arabia collocavit: cumque de principatu contenderent, Ægyptus (qui & Remesses) regno expulit fratrem, & de fe Ægyptum regionem vocavit. Danaus Argos profectus de regno cum Gelanore Stheneli filio certavit. *At cum eorum uterque (inquit Pausanias) ad populum multa, & ea maxime probabilia, & juri consentanea dixisset, causa in fequentem diem ampliata est. Postero die prima luce in boum gregem in pomerio pascentem lupus impetum fecit, atq; taurum ipsum gregis Duce[m] adortus est. Visum est Argivis Gelanoricum taurum, Danaum verò cum lupo aptissimam esse convenientie rationem: quod ille familiaris & domesticus, hic alienigena atque externus esset. Quare cum taurum lupus confecisset, è renata Argivi Danao imperium adjudicarunt.* Danaus hic frater fuit Ægypti quinquaginta filiarum pater, sicuti Ægyptus quinquaginta filiorum, qui mutuo sociatis connubijs suasore Danao ab vxoribus vnâ nocte interempti sunt, præter Lynceum, quem Hypermetra servavit. Puteos hic primus in Græcia reperit. Obiit anno Mundi 2630. relicto Lynceo genero successore.

ANNUS MUNDI 2672.

ANTE CHRISTUM 1381.

Phryxus Athamantis Regis Thebarum filius cum Helle sorore paternum furorem, & infidias nocentes fugiens in navi, quæ arietis deaurati insigne gerebat Poëtis occasionem dedit de aureo vellere fabulandi. Helle in mare decidit eique nomen re-

liquit Helleponti. Phryxus incolumis in Colchidem pervenit; ibique ut Pausanias refert, arietis vellus aureum in templi tholo seu luco Martis suspendit. Illud vel fuit ex auro vellus fabrefactum vel ars in pelle arietis descripta conficiendi aurum, vel proa navis in qua navigaverat, vel denique aliud simile, quod Iasoni illicium esse potuit magnis laboribus quærendi. Dionysius Mithylenæus scriptum reliquit Phryxi pædagogum fuisse arietem nominatum, qui captus à Colchis in custodia servabatur, aureus dictus propter doctrinæ præstantiam, & consiliorum integritatem. Tanti olim fiebant docti ac prudentes viri; Alii putant fuisse thesaurum Phryxi reconditum in luco Martis, & pelli arietis insutum, arctissimè custoditum, ob quod Poëtæ finxerunt Draconem vigilem, qui flammam vomeret, ei adhibitum custodem. Suidas verò notavit aureum vellus fuisse librum contextum ex arietum pellibus, in quo scriptum erat quo pacto per chemiam posset autum fieri. Deniq; Dercylus antiquus scriptor apud Natalem Mythologum: Argonautas ad vellus aureum navigasse, quod non erat aliud, quam Scytharum opulentia: quippè cum non procul à Caucafo monte torrentes quidam aurum deferre dicerentur, quod tabulis perforatis ac lanosis pellibus apud Scythas excipere mos fuit, id petitori per magnas itinerum ambages, & ingentes labores fatigabantur.

ANNUS MUNDI 2783.

ANTE CHRISTUM 1270.

Fuit hic annus 23. Gedeonis, ad quem Marianus Scotus refert expeditionem Argonautarum in Colchidem. Salianus modò ad annum Mundi 2771. modò ad 2821. Genebrardus ad ætatem Achialonis Iudicis Israëlitarum, qui cœpit judicare anno M. 2962. ex computu Saliani: sed movet dubium Scotus quomodo Gedeonis

D 3

Pausan. in Bœot. l. 9. Diodorus l. 4 c. 4.

Appollodo. Auth. Thef. temp. &c.

Pausan. in Corinth. l. 2.

Ravif. in Epith. Mariæ. Scot. ad. an. M. 2726.

Natal. Mythel. l. 6 b. 9. Euseb. in Chron. Scot. ad an. M. 2806.

Nat. Mythol. l. 6. c. 8.

Marlan. An. M. 2931.

Sal. cit.

Geneb. An. N. 2998.

nis

nis ætate potuerit fieri hæc expeditio in qua etiam Castor & Pollux intervererunt, qui putantur fuisse fratres Helenæ, multis post annis Trojano excidio causam præbituræ. Id fortè moverit Genebrardum, vt proximè ad tempus excisæ Troiæ differret navigationem Iasonis & sociorum, & sanè etiam Thesei meminisse oportet, qui juxtà comes Iasonis & Helenæ prior raptor ad ea tempora spectat, quæ saltem Troiæ oppugnationi propinqua sunt. Quare licet non planè Genebrardo subscribam, & hic de aliorum sensu monuisse contentus, infra referam Colchicam Iasonis conditoris Æmonæ patriæ meæ celeberrimam expeditionem, attingam tamen propiora tempora Troiani excidii, ne Paridi præda nimis vetula obtingat. Quanquam plures ejusdem nominis fuisse & Theseos, & Castores, & Polluces non difficulter concesserim. Cæterum *ætas hæc* (vt verbis utar Plutarchi) *homines tulit, promptitudine quidem manuum, pedum celeritate, corporisque viribus pollentes, indefessosque: sed, qui suâ naturâ ad nullam rem bonam commodamve uterentur, libidine gaudentes superbâ, fructumque statuentes sui roboris, sævitiâ ac immanitatē dominarique, vim facere obvio cuique, mortemque adferre: tum qui viribus superiori verecundiæ, justitiæ, æqualitatisque rationem nullam habendam putarent: quod ea vulgo ab his, qui injuriam aut inferre non auderent, aut ipsi metuerent, laudibus officerentur.*

ANNUS MUNDI 2830.

ANTE CHRISTUM 1223.

Disperfos Japidix incolas hic annus collegit, & prima Æmonæ nostræ fundamenta vidit, autho e Iasone, quem ad Colchos primū comitabimur, dein reducem habebimns vobis nostræ, quæ nunc Labacum dicitur, conditorem. Iason Æsonis & Polymedæ Autholico genitæ filius, Crethei & Tyrrhûs nepos, Æoli & Sege-

A. stæ Trojanæ nepos, Jovis pronepos non illius in Creta geniti vel educati, de quo mira fabularum portenta, sed alterius fortè in Thessalia vel Boeotia Regis, cum ferè omnes olim Reges Joves appellerentur, cum adhuc infans esset de vita periclitatus est. Peleus siquidem Thessaliæ Neptuni & Tyrrhûs jam dictæ ex furtivo concubitu filius oraculo edoctus vt ab Æolidis sibi caveret, Iasonem adhuc infantem occidere statuit. Id cum propinquis innotuisset, obscurissimâ nocte in arca clausum Iasonem tanquam mortuum efferunt, & Chironi Thessalo artis medicæ & Astronomiæ **B.** peritissimo educandum committunt. Adolevit sub hujus disciplina in antro occultus Dolomedes (sic enim vocabatur) & rude donatus Iasonis accepit nomen, terramque apud Anaurum fluvium aravit, vt Apollonius tradit. Pelias interim alterum ab oraculo accepit responsum, vt sibi caveret ab eo, quem altero pede nudum vidisset: cumque Neptuno sacra instituisset, vniversis ejus regionis concurrentibus accessit & Iason, qui dum trajceret Anaurum fluvium alterum calceum in limo amisit. Pelias hunc ita visum ad se vocans interrogat. Quid faceres, si tibi responsum esset, te à quopiam interfectum iri? cui promptè Iason: ad aureum inquit vellus recuperandum mittere: Ibis inquit & afferes. Alij aliam occasionem hujus mandati prætexunt: vt Hecatæus, qui ait quod cum Iason ex antro Chironis exivisset, & à patre conjunctisque affinitate cognitus fuisset, ad convivium solemne fuerit vocatus: à quo digrediens magno cum tumultu ad Peliam regnum suorum maiorum repetens contendit. Pelias se regno cessurum pollicetur, si Iason prius in Colchidem abeat, & ter animâ Phryxi advocatâ vellus aureum adferat. Hoc priore credibilis: quamvis vtrumque evenire potuerit, ut Iasone nudipede observato in ejus originem inquirens Pelias, & Æsonis filium Æolidem

Apoll.in Argon. Diodor. Sic. l. 4. Strabo l. 11. Appian. in Mithridat. Apollod. l. 1. Pausan. in Bocot. Hig. c. 14. valer. Flac. in Arg. Pessina Mar. Morau. l. 1. cap. 3. fol. 20. ad an. ante Christ. 1220. id refert.

lidem recögnoscens ad difficillimum laborem, & mille periculis obnoxium dimittere voluerit, eo absente vel pereunte futurus de regno securior. Jason igitur impigrè susceptâ provinciâ, adscitâ in eundem laborem validâ juventutè navim peculiari stúdio fabricatam cum quadraginta novem commilitonibus conscendit, quorum nomina hæc feruntur Acastus, Admetus, Æthalides, Amphidamas, Amphion, Ancæus Neptuni, Argus, Argeus, Asterius, Asterion: Augias Solis filius, Biantus, Butes, Calais Boreæ, Calatus, Canthus, Castor, Cepheus, Clitius, Coronus, Echion, Erginus, Eribotes, Eurydamas, Eurytus, Eurytion, Hercules, Hylas, Idmon, Iphiclus Æsonis, Iphiclus Testiades, Iphitus Euryti, Iphitus Phœcenis, Laocoön, Leodocus, Lyneus, Meleager, Mopsus, Nauplias, Odeus, Oenides, Oileus, Orpheus, Palæmonius, Peleus, Phaletus, Pollux, Polyphemus, Tænaræus, Talatus, Telamon, Tiphys Zetes Boreæ, quos omnes recensuit Sophocles: unde apparet non tantum quadraginta novem, sed multò plures in comitiva Iasonis fuisse, cum etiam isti addantur ab aliis: Actorides, Actorion, Aglaus, Amphistecus, Autolycus, Buphagus, Ceneus, Deileon, Deucalion, Euphemus, Iphis, Iphidamas, Mænetitis, Nestor, Philoctetes, Phæas, Ablogius, Tydeus. Et fortè plures, nec omnes vno navigio, licet vnica Argos decantetur. Fama est in Lemnum eos primum applicuisse, mox ad Cyzicum Dolionum Regem in Mariam, deinde in Iberiam, hinc in Bebryciam, atq; cum ad Syrtem Lybiæ accessissent templum ibi condidisse, quod postea Herculi fuit consecratum, cum ibi certamina celebrassent, in quibus Hercules victor fuit. Deinde cum propter obstacula Syrtium navigare non possent, feruntur navim Argo supra humeros per Lybiæ deserta duodecim dierni spatio portasse, & rursus in mare dejecisse

A. quod ego, sic intelligendum putem, quod dissolutis compagibus navim per partes tulerint, eamque rursus ad maris littus compegerint, cum Argus ejus artifex in comitiva adesset. Ad Phineum Regem Arcadiæ eumque vatem cum pervenissent; is cæcus finem suarum calamitatum adesse cognovit, cum audiret Boreæ filios ad se accedere, quorum opera ab Harpiis rapacibus liberatus Iasonem edocuit, quâ viâ, quâve arte Colchos peteret ac vellus inde asportaret. Promoto itinere cum in Mysiam venissent, Hercules, qui remum suum frugerat, egressus, ut è proximâ Sylva alium decideret, relictus est à commilitonibus ob imperitiam navigandi ne omnes remos frangeret, vel ut alij notantur ob voracitatem: vel potius ut alii putant, ob invidiam, cum ex Herculis virtute cæterorum omnium gloria obfuscari videretur. Demum superatis mille difficultatibus in Colchidem appulerunt benigne suscepti à filiis Phryxi, & ad Æetam Regem deducti sunt, ubi Medea Æetæ filia Iasonis desiderio capta eidem consilio, & operâ adfuit, ut sopito Dracone (vigiles thesauri custodes intellige) vellus aureum auferret, quo adepto clam Rege patre sociam se periculorum Iasoni commisit, vna cum Argonautis fugam arripuit. Difficilior & periculosior fuit reducum navigatio, quam varii variè ac ferè divinando scripserunt. Verior & communissima opinio est Argo navim ex Ponto Euxino subvectam ad ostia Istris eoque adverso Savum, dein Nauportum subiisse. Id sanè tradiderunt Strabo, Eustathius, Plinius, Zosimus, Sozomenus, Iustinus Isidorus, & alii: quorum Eustathii, Zosimi Sozomeni, & Iustini verba supra dedi. Apparatus cap. 2. §. I. hi quippè Iasonis reditum apertè docent per fluvios Istrum, & Savum, quin & Æmonam ab eo conditam dum ultra navigare non possent, quam aliam non esse à Labaco nostro supra evidenter probavi.

Strabo l. 1.
Eustath. in
Comment.
ad Homeri
Odyss. l. 12.
Plin. l. 3. c.
18 Zosimus
l. 5. hist. l. 20.
l. 1. c. 6 Just.
l. 32 Isidor.
orig. l. 9. c. 2.
Diod. lib. 4.

Tota Iasonis navigatio quadrimestris fuisse putatur. Ex Savo Nauporum fluvium ingressus, cum vltra eum progredi non posset; missis exploratoribus, vel ab incolis de viarum asperitate edoctus hyeme appetente, constitit vbi nunc Labacum ex parte ædificatum est, & incolis loci sparsim habitantibus convocatis, eos modum vrbis condendæ edocuit, quam in memoriam adventus sui & patriæ, è qua profectus primò fuerat Æmonam nuncupavit: posterius eam corruptè Emonam scripserunt. Thessalus quippè cum fuerit Iason, & Thessalia dicta priùs Æmonia, nomen huic vrbi dedit, à Iasonis patria: quo argumento facillè etiam credideris à Colchis nominatam Istriam, desumpto nomine ab eo fluvio, quem primum è Ponto Euxino ingressi adversum navigarunt Iasonis exemplo, vt deinceps narrabimus. Ergò primus hic Metropoli Carniolicæ nostræ natalis annus felix illuxit; quem, si aliena respicias, agnosces fuisse post diluvium 1174. Post exitum ex Ægypto & datam legem 287. Iairi Iudicis Israëlitarum 4. Meraiothi Pontificis 32. Obedi avi Davidis Regis 22. Imperij Assyriorum 899. ante Romam conditam 472. Rudia vrbis (vti rerum omnium) fuerint initia, & ab ijs iacta fundamenta, qui fortè jam olim post Deucalionis diluvium è Thessalia progressi hic confederant, à Thessalo Iasone conterranei agniti, & de modo condendæ vrbis edocti. Vix enim credibile est Iasonem prudentissimum virum apud ignotos penitus, & alienigenas moram tracturum, vel hybernaturum fuisse. Et cum Thessalos id temporis Græcos fuisse & Græca linguâ vsos constet, idem de partis hujus Pannoniæ, & iunctæ Japidicæ tractu censendum est. Quo nomine tunc nuncuparetur Provincia non possim divinare, nisi fortè Japidia primitus latius in septentrionem protensa suos limites promoverit vltra Savum, quod alicubi Lazius existimat: certè nõ-

A. dum hæ partes Pannoniæ nomen receperant, quando Iason Æmonam condidit, Hyperboreas dictas vniversim orientalibus crediderim. Non multis tamen post annis enata sunt diversa harum Provinciarum nomina, vt facillè divinare licet, si verum scripsit Apprianus Alexandrinus. *Fama tenet*, inquit, *Illyriorum cognomen ab Illyrio Cyclopi Polyphemi filio demissum, quippè Polyphemum ex Galatea conjugè, Celtum, & Illyricum, & Gallam filios suscepisse, eosque ab Sicilia digressos imperitasse populis, qui inde Celtae, Illyriique & Galli sunt appellati. Atque hæc inter plurima fabularum, quæ hoc loco referri solent, mihi maximè probantur. Illyrio deinde filios Encheleum, Antarium, Dardanum, Medum, Taulantem, Perrhabumque fuisse tradunt &c. à quibus Taulantij, Perrhabi, Enchelei, Antarii, Dardani, Partheni, Dassaretii, Darfiique prodire. Antario Pannonium sive Pæona genitum, Poëone autem Scordiscum, & Triballum, quibus item cognomines populos habemus. Malim Appiano subscribere, quàm Berofo Anni Viterbiensis, qui Semo primogenito Noë filium attribuit Arameum, huic Moesam à quo dicta vtraque Moesia, Moesæ Bannonem à quo Pannoniam prius dictam Poëoniam (quemadmodum eam Græci, & ipse Appianus appellavit) à Poëonibus Græciæ aut Macedoniæ populis, qui in Pannoniam colonias duxerunt. Jam verò si Polyphemus idem fuisse dicatur, qui inter Iasonis comites Argonautas recensetur, & qui è Sicilia suos dimisit filios in has terras, tardius enatum oportuit Pannoniæ nomen. Verum quia Dardanus jam antè ducentos annos Dardaniam condidit, vt dicebam ad annum M. 2576. ejus ex fratre nepos Poëon non multò post Poëoniæ nomen dedit: quo tempore Poëones in has digressi sint oras non est facillè divinare: diximus de hoc in Apparatu. Atque ita Polyphemus hic Siculus diversus fuerit ab altero Polyphemo Argonauta, licet etiam*

jam Argonautæ in Siciliam pervenerint, & eorum forte aliqui ea in regione confederint. Opinari etiam quis posset longè ante hæc tempora contigisse Argonautarum expeditionem, & Theseum, Castorem, ac Pollucem diversos fuisse ab ijs ejusdem nominis, qui Trojani excidij tempora attigerunt. Sanè id antiquissimis illis historiis, quæ adhuc supersunt contigit, ut non solû fabulis multis miscerentur, sed etiam cùm plures ejusdè nominis essent herois attributû vni, quod erat plurimum. Trecentos Joves numeravit Varro, quidquid tamen de illis omnibus compertû fuit apud antiquos, id totum vni Cretæo adscribitur, & cùm facta fortassis vni possent convenire, patrum tamè & matrum diversitas ad vnû B. spectare nequaquã potest. Verùm quidquid sit de hujus temporis nomenclatura nostræ Provinciæ; illud certum inquilinos veteres & antiquissimos fuisse Græcos, quibus paulò post succedent Celtæ. Japidum tamen nomen ea parte qua veterem inclusimus Japidiam fuisse antiquius Celtico, minimè dubitaverim & quidem antiquius Illyride seu Ilirico nomine. Quia verò hic attigimus Jasonis expeditionem in Colchos, non pigebit adscribere, quæ probi Authores, de Argonautis nostræ Æmonæ conditoribus annotarunt. Memorabilis est Simonis Metaph. hist. in Michaële Archangelo, quam ex eo Bulling recenset his omnino verbis: *Quando Argonautæ Græciâ florente longinquâ navigatione ad eum locum, qui dicitur Anaplos ut portû inirent, in eo tractu bello laceffiti sunt ab Amyco Rege, & metuentes hominis robur, in sinum quandam nemorosum, densum, & agrestem refugerunt: ubi visum eis objectum est, & virtus quædam de calo delapsa hominis terrifici, qui alas Aquilæ in humeris gereret: is velut ex oraculo prædixit eis Amycum de bellatum iri; cui gratiâ reponentes, eo loci ubi visum viderant, sacrum simulacrum virtutis illius statuerunt, & locum Softhenem vocarunt, quia in eo fugientes servati erant. Hoc simulacro viso (post aliquot secula) Constantinus vir-*

*tute Dei Augustus, cum Imperij domiciliû Byzantij fixisset; suos monuit simulacrum hoc Angeli esse, qui Christianis in cultu & honore est: & attonitus facie loci, & fani; precibus se dedit, & de nocte quasi per visum, vocè humanâ majorem audivit dicentē: Ego sum Michaël Princeps militiæ, Domini exercituum. Cum evigilasset Imperator ornavit locum, & ad orientē Altare exstruxit, fanumq; nomine Divi Michaëlis honestavit, ubi quotannis populi conventus haberetur. Templum Archangeli Michaëlis in Anaplo indigitatur. Hactenus Bulling ex Simone Metaph. Idem porrò Metaphrastes in vita S. Procopij Mart. quæ apud Surium extat, 8. Julij, refert ab iisdem Argonautis conditum templum Athenis Virg. Deiparæ, ob oraculum Apollinis Delphici de nascituro Verbo in carere ex Virgine intermerata. Sic in ejus vita c. 23. ad diem 8. Julij, ut refert Scherlogus, quod sanè minimè abludit à verò, cum etiâ apud Romanos fuerit ab Augusto erecta *Ara primogeniti Dei*, & pridem ante erectû *Templum Pacis*, de quo consultum oraculum dicitur respondisse, tunc ruiturum cum Virgo pareret. Et apud Athenienses fuit Ara erecta *Ignoto Deo*. ut Lucas in Actis testatur. Placet afferre verba Surij, ex Metaphraste de vita S. Procopij, quæ tantæ authoritatis jam olim habita est, ut inde pro cultu SS. imaginum in 2. Nicæna Synodo Act. 4. testimonium sit. allatum. Sunt verò ista: *Cum Jason princeps Argonautarum de templo quod Athenis primum constructum est in arce, Delphicum Apollinem consulisset, cujus futura esset aedes illa, sic respondit oraculum: Quæcunque ad honestatem virtutemque vos incitant, facite. Ego autem tres cupio, Deum unum regnantem apud Superos, cujus Verbum ab interitu alienum conceptum in simplici Virgine, qui tanquã ignitus arcus percurrens mundi medium omnes capiens eos adducet donum Patri: hujus erit hæc aedes. Maria autē erit nomen ejus* Quæ verba retulisse fertur ipse S. Procopius coram Flaviano Præfide Palæstinæ ad confirmandâ Dei unitatem, & fidem Catholicam. Quod autē*

Metaphrast. ap Sur. ad 8. Julij.

Scherlog. in Cant. vol. 2. Vestig. 7. Explan. hist. sect. 1. Suidas voce August. Lippoman. tom. 8. Sur. To 6. Oecum in c. 17 Act. v. 23.

Metaphrast. de S Mich. Bulling l. 1. de licit & vet Magia. c. 22.

Athenis in arce veteres coluerint Palladē non MARIAM, id factū est ex verlutia Dæmonis, qui induxit Athenienses ad cōminiscendam Minervam sapientiæ Deam è Jovis cerebro natam, vt sic vaticinio huic tenebræ offunderentur. Sed & aliud templum condidit idem Jason in sua peregrinatione; nempe Cyzici in Helleponto, quod à Plinio velut maxime admirandum celebratur. Id dum cōstrueretur, consultum oraculum Pythiū respondit; eo ferè sensu, quo paulò antedum conderetur templum Atheniense. Cedrenus hæc referens in hæc verba scribit: *Quo tempore Iudices Israëlitico populo præfuerunt, Argonautæ cū Jafone Thesjalo, Polluce, Hylla, Telamone, ac reliquis in Colchidem navigaverunt, quo cum per fauces in Ponticum mare transire vellent, Cyzicum Helleponti Dominum navali prælio ipsos prohibere conantem interfecerunt, ac Cyzicum urbem Helleponti primariā cæperunt. Mox cognito Cyzicum sibi genere propinquū fuisse, veniā postulatā templum condidere admodum mirabile, atq; ad oraculum, quod est ante Pythias thermas profecti Phæbum Apollinem rogaverunt, vt sibi ediceret, cui ædes consecranda esset; responsum iis in hanc est sententiam:*

*Affidua virtute decus sublime parate:
Atque unum (sic mando) Deum qui cuncta gubernat
Cælesti residens solio, colite atque timete.
Illius æternum natum ante secula Verbum
Nescia Virgo viri quondam partu tenero edet.
Quod velut igniferis impulsæ sagitta procellis,
Edomitum reddet Patri pro munere mundum:
Hujus, quam Mariæ nomen manet, alma genitrix
Agnoscat templum proprium sibi rite dicatum.*

Pergit Cedrenus, seu ejus interpres: *Hoc oraculum æreis literis in marmore impressis conscriptum illi in supero portæ limine posuerunt; atq; ipsi quidem tunc ædem Rheæ Matris Deūm dixerunt: sed ea postea Zenone imperante templum sanctæ Dei Genitricis denominata fuit.* Hactenus Cedrenus. Observat Pet. Anto. Spinellus oraculum præfatum ab interprete Cedreni paraphrasticè versum, & in metri leges coactum, quod ex Græco Cedreni verbatim sic sonat: *Quæcunq; quidem ad virtutem, & ornatum visa sunt, facite: Ego verò ju-*

beo colere unum solum apud superos regnantē Deum, cujus Verbum nulli corruptioni obnoxium, in intactæ puellæ utero conceptū erit. Hoc Verbum tanquam sagitta ignifera medium percurrrens univèrsū mundum, cum eum cæperit, Patri adducet donum. Illius puellæ erit domus hæc: Maria verò nomen ejus. Hucusq; oraculum ex versione Spinelli, qui præterea advertit idem videri templum hoc Argonautarum apud Cedrenum, & illud Jasonis à S. Procopio allegatum. Nam eadē prorsus sunt oraculi verba, in vtraq; historia, & Jason ipse Argonautarum Dux & princeps fuit. Cæterū diversa esse hoc suadet. Nam alterū Cyzici, alterum Athenis erectum fuit, vñ ab Argonautis omnibus, alterum à solo Jafone conditum: de vno consultum oraculum apud thermas Pythias, de altero apud Delphos, vnum Rheæ, alterum Minervæ dicatum: quod etiam advertit Jo. Euseb. Nieremberg. scrip. Hisp. Ut vt verò se res habeat, suffecerit nobis ad cōmendationem conditoris nostræ Æmonæ Jasonis, quod Deiparæ Virgini templū condiderit, sive Athenis, sive Cyzici, sive vtroque, & præluserit Labacensium pietati, quā exercent cum Deiparam immaculatè Conceptam sumā colunt veneratione, cui etiam nuper me hortatore insignē erexerunt molem instar altaris in publica platea cum antiqua icone seu statua Matris Dolorosæ, ad quam orandā rogatus scripsi hæc Chronographica.

C. ô pla ô DVLCIS VIRGO MARIA.

Et in basi

MATRI DEI.

senat Vs Labacensis posvit.

In medio verò expressa est votiva Deiparæ invocatio pro auxilio contra Turcam, qui tunc in festis armis patriæ iminebat, & anno sequenti absoluto hoc opere in pacis leges vtrò consensit.

Mater Dolorosa

Voto plorantis populi asperrato benigna.

Ad hanc Statuam Sabbathinis diebus confluenta vicinia Litanie Lauretanæ decantari solent.

ANNUS

Plin. lib. 36.
cap. 15.

Cedren in
Comp.

Spinellus
Thron. Dei-
par. cap. 29.
num. 25.

Nieremb in
Troph. Ma-
ria. l. i. c. 5.

ANNUS MUNDI 2831.

ANTE CHRISTUM 1222.

Æmonæ Conditæ an. 1.

Conditâ Æmonâ, veris initio Jason cum suis ope incolarum adjunctus Argo navim dissolutis compagibus, seu humeris, seu plaustris transfert à Nauporto per juga Alpium Juliarum sive earum radices, & montem Ocrum vel Carusadium, quem Carium hodie dicimus. Fortè neq; opus fuit vlla translatione, cum potuerit exploratis locorum commoditatibus prope mare aliam navim fabricare Typhis invenror navis, qui aderat in Jasonis comitiva. Quam procul verò navis deportata sit vel ubi nova denuo fabricata, vel vetus denuo compaginata, video inter authores dissidium. Ad flumen Istrum delatam scripsere nonnulli veteres nomine regionis decepti, aut quia per Istrum subvectos è Ponto legerant Argonautas. De his Diodorus: *Qui Argonautas per Istrum ad fontes subvectos in Hadriaticum inde sinum per occurrentem isthic alveum intrasse, memorant, hos tempus convincit falso suspicatos esse, Istrum qui pluribus ostiis in Pontum effunditur, & alterum qui in Adriam defluit, ex iisdem locis initium fluxus sumere, debellatâ enim à Romanis Istrorû gente fontes ejus annis 40 stadia à mari abesse deprehensum est.* Vereor vt tam Diodorus vetustiores authores malè intellexerit, quàm illi in nomine aberraverint. Argo navim subvectam Istro, dein Savo, dein Nauporto ex Plinij autoritate jam suprâ ostendi; crediderint verò antiqui scriptores hosce tres fluvios vnum eundemq; fluvium esse, & de eo scripserint, quod ex iisdem locis initium fluxusumat, is qui in Pontum excurrit, & qui in Adriam; nec aberrarunt in hoc, si modo verum hujus fluvii nomen expressissent Nauportus quippè ipse est fluvius ille, qui diversum sortitur fluxum ab eodem fonte. Pars ejus quæ à parte septentrionali decurrit hodie La-

A. bacus dicitur, pars altera ex opposito ejusdem montis Vipacus dicitur olim sub Frigidi fluvij nomenclaturâ notus, qui licet initio statim navigabilis non sit, & hodie propter molendina nulla toleret navigia, olim tamen navigabilis fuerit, & multo major quam hodie: creditur enim longo temporum tractu subterraneos sibi fecisse meatus, quod in hisce partibus novum non est. Albium quippe flumen, (Poygam appellat vulgus) quod torrentis instar penes Adelspergâ decurrit, in Istria sub terram absorbetur. In Lugea etiam specu subterraneû fluvium per integrum milliaria spatium decurrere omnes novimus, nec quorsum effluat certò scimus, licet eundem cum Vipaco esse suspicemur. Verosimile igitur est si Argo navis humeris, vel plaustris, vel machinis per montem aliquem translata est sive integra (quod vix credam) sive dissolutis compagibus, translata esse vltra originem Labaci, & impositam fluvio Frigido, qui in Sontium amnem effusus, cum eodem se in Adriaticum mare exonerat Scio Sontium hodie quandoq; navigabilem non esse: quis autem novit an non olim etiam Sontius pleniore alveo quam hodie fluxerit. Et si authores de Natifone amne suspicantur, quod alveum suum mutaverit; cum olim Aquileiam ferè allueret, vel subterraneos sibi putetur reperisse meatus, cur non pari ratione id ipsum de Frigido fluvio, deq; Sontio liceret opinari?

C. Sabellicus de Natifone: *Per Natifonem ad LX. stadia Aquileiam ex Histria Illyricas gentes subvehi solitas scribit Strabo. Et Plinius quoq; Natifonem cum Turro Aquileiam perfluere tradit: quum planè constet Natifonem XXIV. stadiis longè ab Aquilejâ currere. Siquidem Turro admixtus in Sontium amnem elabatur, nomenq; porrò amittit. Illud quoq; mirari soleo, eundem Plinium, Ptolomæum, atq; alios complures de Natifonis ostio mentionem fecisse, de Sontio autem neque illos, neque veterum scriptorum quempiam, quod sciam, quidquam tradidisse.* Ego quod

Strabo l. 1.
Z. sim. lib. 5.
hist. Sozomen. l. 1. c. 6.
alij cit. sup.

Diodor. l. 4.

Sabel. Antiq.
Aquil. lib. 1.

quod ad priorem illam dubitationem attinet, aut diverso tunc alveo Natisonem fluxisse crediderim (quod facile fieri potuit) ut Aquileiam perstringeret, & sic quoque illa posterior dubitatio tolleretur: aut Plinium, Strabonem, & reliquos æquivocatione nominum Natisonis, & Natissæ deceptos. Nam amnis qui Aquileiam perfluit Natissa dicitur diverso fonte & ostio à Natisone fluens. Non desunt qui dicant Natissam amnem, paululum supra Aquileiam ortum habentem, ex Natisone subterraneis cuniculis initium trahere, &c. Similia suspicari licet de Frigido fluvio, de Sontio & aliis. Quæ si ita se haberent, omnis ambiguitas de fluvio quo Argo navis in Adriaticum mare defluerit, tolleretur; ad proximum enim translata navim ipsa ratio opinari suaderet. Quod autem veteres Istro descendisse in Adriam asseruerint id ego errori non tribuerem, quia fortè id temporis tam Savus quam Nauportus & plures alij fluvij, qui se in Istrum sive Danubium exonerant Istri nomine censebantur. Certè Nauportus à Jasonis primum adventu & Argo navi fortitus est nomen; nec de alio ejus antiquiore vocabulo constat, qui cum altera sui parte in Sontium (ut diximus) & Adriaticum finem effundatur, nihil mirum à primis illis scriptoribus Istrum cum quo maritatur, appellatum fuisse. Ab hac ergo prima opinantium sententia non planè abhorreo; tametsi navis transportatio per montes nostræ patriæ difficillima videatur, Sozomenus Græcus scriptor de navis translatione hæc habet: *Argo navim quadringenta circum stadia per terram machinâ quadam tractam deduxerunt in Aquilim fluvium, qui in Eridanum influit, Eridanus autem in mare Italicum exit.* Nullus fluvius apud alios authores, qui Aquilis diceretur, hætenus deprehensus est. Conjectura est Sozomenum ignotum sibi fluvium Aquileiæ propinquum, ab eadem Aquileia denominasse, ut quasi innueret non procul Aquileia Argonautas in ma-

Sozom. Eccl. hist. l. 1. cap. 6.
Zosim. lib. 5.

re Adriaticum descendisse. Eodem nomine usus est etiam Zosimus. Verùm quid opus erat tam laboriosè transferre navem, cum Typhis comes Jasonis & navis architectus longè facilius novam fabricaret ad maris littus? suadet hoc alia rursus mora Jasonis in tractu illo vicino Aquileiæ, ubi oppidum videtur aliud condidisse de nomine raptæ Medæ appellatum, quod licet ad vicum redactum, hodie tamen adhuc Medæ nomen servat. Plinius fatetur nesciri nomen fluvij quo Argo navis in mare descenderit, non procul tamen Tergeste ait descendisse. Justinus ex Trogo Pompejo ait: *Naves suas humeris per jugamontium usque ad littus Adriatici maris transtulerunt.* Id ego crediderim quoad partes aliquas magis necessarias, quas ad littus maris conficere non possent, vel ferramenta necessaria, non de totis navibus intelligendum. Quidquid sit de navi sive translata sive nova fabricata, cum neque deessent tunc aliæ quoque naves in portibus, (licet Poëtæ primum navium inventorem canant Argum vel Tiphyn Jasonis comitem, qui tamen Deucalionem dudum ante navigio usum fatentur) inter Aquileiam & Tergestum Jasonem rursus conscendisse navem cum suis, ex Zosimi, Sozomeni, Plinij scriptis colligitur, quibus accensendi Martialis, Diodorus & alij, qui Timavo defluxisse affirmant, & ut notavit Cluverius distantia CCCC. stauiorum ab Æmona ad Timavum observatur, quam distantiam Sozomenus posuit ab Æmona protractæ navis usque ad Aquilim fluvium. Ut proinde illi nequam audiendi sint, qui Argo navim in Istriam per difficillima itinera & magnas ambages ad usque fluvium Quietum protractâ asseverant, nullo ex antiquis scriptoribus fidejussore. Quod enim Istrum fluvium Pomponius Mela, & Cornelius Nepos in Istria collocaverint id per errorem factum affirmat Plinius: *Histriam cognominatam à flumine Histro*

in

Plin. l. 3. c. 18.

Justin. l. 32.

Cluver. Ital. lib. 1. c. 21.

Plin. cit.

in Hadriam effluente è Danubio amne &c. plerique dixere falso, & nepos Cornelius etiam Padi accola: Nullus enim ex Danubio amnis in mare Adriaticum effunditur. Deceptos credo, quoniam Argonavis flumine in mare Adriaticum descendit, non procul à Tergeste, nec jam constat quo flumine &c. Facilius crederem de Formione amne, qui Tergeste vicinus est, ac navigabilis, quod per eum Argonautæ in mare Adriaticum defluerint, nisi putarem Jasonem Forum Julium potius, quam Istriam petiisse, ut ex dictis constat: neque Formionem prius vocatum fuisse Istrum credibile est, cum Plinius, qui folis 34. circiter annis Melâ junior fuit, Formionem sciverit esse Istriæ fluvium, Istrum verò nullum agnoverit. Si quis ergò vnquam in his regionibus fluvius fuit Ister appellatus, eum ego Labacum nostrum, qui in Savum, & cum Savo in Istrum influit sic dictum propter continuationem crediderim. Fortè autem primi illi Authores, qui ante Diodorum, & Plinium scripserunt Argonautas per Istrum fluvium in mare Adriaticum descendisse, vocem Istrum acceperunt adjectivè non substantivè, & tunc posset omninò intelligi proximus Istriæ fluvius Formio. Delapsi ergò quocunque flumine in Adriaticum mare Argonautæ, tempestate jactati Drepanum, quæ postea Corcyra appellata est, ad Regem Alcinoium appulerunt. Neque enim hic Poëtis fidem habeo, qui à Medea fratrem Absyrtum lacertum, & per frustra in via regia disjectum ut Colchos insequentes moraretur, confingunt. Jasonem cum Medea in Venetis (tunc dictis Euganeis hodie Foro-Julio) pedem posuisse, vel ipse locus superstes Medea nominatus clamat, in Istriam divertisse nihil suadet, ut nec author quidem vllus antiquus adduci possit. Quod neoterici divinando, sed malè divinando protulerunt, me non convincit. Absyrtides insulas Istriæ proximas fateor, & quidem ab hoc Me-

deæ fratre Absyrto nominatas, sed quâ occasione id evenerit deinceps exponam. Illud hoc loco non prætermiserim eundè ferè annum dedisse initium Byzantio, quæ nunc Constantinopolis dicitur, & Æmonæ nostræ sive Labaco. Mythologus de prima expeditione Argonautarum priusquam Colchos accederent, disertè: *Argonautæ ubi ad terram applicuerunt, cui imperabat Byzantus, à quo urbs dicta est Byzantium, structâ ara Diis sacrificarunt.* Sic Æmona nostra par est ætate Byzantio & Constantinopoli, superior Româ, quam annis quadringentis septuaginta, & vno antecedit.

Natal. 1.6.
c. 10.

ANNUS MUNDI 2832.

ANTE CHRISTUM 1221.

ÆMONÆ CONDITÆ AN. 2.

Fugere cum Medea Jasonem postquam rescit Æetas, illicò Absyrtum filium cum valida manu Satellitum, & fortassis classe, ad eum persequendum misit: quod ità narrat Higynus: *Æeta ut rescit Medeam cum Jasonem profugisse, nave comparatâ misit Absyrtum filium cum satellitibus armatis ad eam persequendam. Qui cum in Adriatico mari in Istria eam persecutus esset ad Alcinoium Regem, & vellet armis contendere; Alcinoius se inter eos interposuit ne bellarent.* Errat hic Higynus, cum Istriam nominat, ut rectè observavit Cluverius, cum vel Curictam vel Corcyram Insulam, quibus tunc Alcinoius dominabatur nominare deberet. Curicta quippè Insula est in sinu Flanatico proxima Absoro, seu Absyrtidi, quarum meminere Mela, Plinius, Ptolomæus, Strabo, & vocantur adhuc nostra ætate Cherso, Osero, Terosino, Cao, Arbe, Veglia, &c. cum sint plures, quæ ferè hodie sub vno nomine Cherso nuncupantur. remotior verò inde Corcyra. Jason ergò circumvectus Istriam in has insulas delatus ad Alcinoium Regem pervenit, cujus iudicio se permisit, cum Medea ab Absyrto

Higyn. fab.
23.

Cluv. lib. 1.
Ital. ant. c.
21.

Mela. 1.2. c.
7. Plin. 1.3. c.
26 Ptol. in
Illyr. Strabr.
lib. 7.

fyrtto fratre repeteretur. Alcinous Colchis vt abstinere ab armis persuasit, cum promitteret redditurum se Medeam si nondum Jasonis conjunx esset. Postero die (narrat iterum Higynus) quum ad iudicium venissent, & Medea mulier esset inventa conjugii est tradita. Nihilominus cum profecti essent, Absyrtus timens patris præcepta, persecutus est eos in Insulam Minervæ (deberet ponere Dianæ quia sic eam vocat Apollonius) ibi cum sacrificasset Minervæ Jason: & Absyrtus intervenisset: ab Jasone est interfectus, cuius corpus Medea sepulturæ dedit, atque inde profecti sunt. Propior verò est hæc narratio, quam altera illa, quæ refert à Medea fratrem occisum & in frustra discerptum, minutatim projectum vt subsequenter patrem in colligendis filii membris remoraretur, vt Ovidius, Seneca, & alij finxerunt. Digressio ab illis Insulis Jasone, Colchi redire ad Æeten veriti, partim in Istria confederunt. Condita tunc ab illis Absorus, vel Absoris vel Absyrtum, variè quippè à variis nominatur, quæ nunc detorto vocabulo Osero dicitur. In Istria etiam Pola eorundem Colchorum colonia est. Hinc Higynus citatus: Colchi qui cum Absyrtto venerant timenter Æetam, illic remanserunt, oppidumque condiderunt, quod ab Absyrti nomine Absorin appellarunt. Et Strabo de Pola Istriae vrbe: Opus est antiquum Colchorum ad Medeam insequendam missorum: qui re infecta exilium sibi indixerant, quod exulum oppidum dixerit Græcus (vt inquit Callimachus) illi linguâ suâ Polas dixere. Amplius aliquid Trogius & ex eo Justinus, qui totam Istriam à Colchis conditam affirmant: Istorum gentem fama est à Colchis ducere originem, missis ab Æeta rege ad Argonautas raptoresque filia persequendos: qui vt à Ponto intraverunt Istrum, alveo Savi fluminis penitus inveci, vestigia Argonautarum insequentes naves suas humeris per juga montium usque ad littus Adriatici maris transtulerunt; cognito, quod Argonautæ idem propter magnitudinem navis

prioris fecissent. Quos vt auctores Colchi non reperiunt; sive metu Regis, sive tædio longæ navigationis juxta Aquileiam confedere: Istrique ex vocabulo amnis, quo à mari concesserant, appellati. Similia ferè habet Ifidorus: Istorum gens originem à Colchis ducit, qui missi ad Argonautas persequendos, vt à Ponto intraverunt Istrum, à vocabulo amnis quo à mari recesserant appellati sunt. Non est tamen verosimile Istriam id temporis penitus incultam fuisse, & à Colchis solis inhabitatam, sed cum esset regio ampla & à paucis culta, Colchi in ea parte, quæ nondum culta fuerat confederint, vti vel ex ipsa vrbe Pola conijcere licet, quæ in extremo Istriæ angulo sita est. An autem prius tota illa regio Alcinoo pareret, & Phæacum nomine signaretur, relinquo sub dubio. Jason interea Macedoniam & Epirum prætervectus in Cretam pervenit, indeque Thessaliam repetiit, vbi Medæ dolo senex Pelias à filiabus propriis juventute promissâ, coctus interiit, regnumque avitum obtinuit post ingentes exantlatos labores Jason, quem summis ævi illius heroibus componendum censet Mythologus, Herculi monstrosum domitori, Theseo Herculis æmulo, Vlyssi inter mille pericula, & labores infracto, vt meritò à plurimis scriptoribus, & cum jactura etiam veritatis à Poëtis celebratus passim legatur. Alii tamen memorant Jasonem Corinthum venisse ibiq; à Creonte Rege susceptum repudiatâ Medea, ejus filia Glaucis matrimonio illigatum post decennale cum Medea connubium: quam injuriam barbara & venefica mulier in Creontis familiam, & genitos ex Jasone filios suos vltâ, Thebas ad Herculem profugit, inde post longos errores in patriam reversa, Jason magnâ ob non servatam vxori fidem collectâ invidiâ rerum omnium inops, sibimet vitam eripuit. Vnicus ex Jasonis liberis Theffalus matris iram evasit, qui Jolcum paternam patriam repetens, hæreditario sibi

Ifid Orig. l. 9. c. 2.

Steph. Epit. Higyn. cit. Isaac Tzetza Com. ad Li. cephron. Callimach. Præ Apollo. l. 4 Argon. Strabo. l. 5.

Justin. l. 32.

Diod. sicul. ap. Petau. Rat. p. 1. l. 1.

jure debitum regnum adiit, ab eoque Theſſalia, quæ prius dicebatur Æmonia, nomen accepit. Quæ ſi vera ſunt, ficta eſſe oportet illa alia, quod Medea Jaſonem reducem à Colchis, poſt fratrem Abſyrtum cæſum, in navi dormientem occiderit. Et his quoque refragantur Pherecydes, Simonides & Lycophron Poëtæ, qui Jaſonem ſenſcentē à Medea coctum juventuti fuiſſe reſtitutum ſcripſerunt. Fictum id quidem, ſed veritas occultata eſt ſub fictione. Quid enim prohibuit ægrum Jaſonem ex Medæ conſilio balneis uti, priſtinæ reſtitui ſanitati, quod exprimit coctio- nis allegoria?

ANNUS MUNDI 2849.

ANTE CHRISTUM 1204.

ÆMONÆ CONDITÆ AN. 19.

ANum hunc apud Hebræos Jephthe ſignat ſuâ in Judicem electione apud Spartanos Theſeus Helenæ raptu, Virginis nondum nuptiis tempeſtivæ, apud Olympum Hercules agone inſtituto. Idemne hic Theſeus fuerit, qui Jaſonem ad Colchos comitatus eſt, an diverſus, meritò dubites: virum fortem, & æmulum Herculis laborum celebrat Plutarchus, nec meminit expeditionis Argonauticæ: nihil tamen prohibet huic illum periculorum avidum interfuiſſe, ac reducem quod à Jaſone pluribus in locis factum viderat, Athenis fortiter & ſapienter tentafſe. Nam partim conſilio partim terrore effecit, ut vnus eſſet vnius vrbis populus, qui prius ægrè ad agendum de communi reip. bono conciri poterat. Sed ut habet author Diodoches Regum Athenienſium, *Postquam Athenienſibus gratificatus popularem ſtatum conſtituit, Lycus quidam Sycophanta effecit, ut heros Oſtraciſino pelleretur.* Exul à Patria Pirithoum individuum vitæ comitem aſſumens, Spartam venit, vbi in templo Dianæ Ortygiæ puellam ſaltantem rapuit, tranſmiſſaque Peloponeſo Aphid-

A. nas deportavit, amico cum matre ſua clam aſſervandam. Inde cum Pirithoo profectus ad rapiendam Molofforum Regis Ædonei filiam, ab eo in vincula conjectus eſt, Pirithoo per Cerberum canem interempto. Tyndaridæ Caſtor & Pollux bellum Athenienſibus ob raptam ſororem inferunt, ſed mox verſis copiis Aphidnum occupantes ſororem recipiunt, & cum Theſei matre Æthra Lacædæmonem deducunt. Theſeus intereà Herculis interventu libertati aſſertus Athenas revertitur nondum omnibus amicis oppreſſis, ſed cum priſtino more imperare vellet, populari ſeditio-
B. ne ejectus ad Lycomedem fugit, qui eum è ſaxo præcipitem dedit. Ità Theſeus magnorum virorum quodam veluti fato tristem ſortitus eſt finē. Quod ad ludos Olympicos attinet, ij jam olim ab Hercule Idæo inſtituti à pluribus deinceps celebrati, hoc anno ab Hercule Amphitryonis filio inſtaurati fuerunt. Ex victoribus primus coronam accepit ab Hercule Jolaus, qui ejus auriga fuit, & curru vicit. Jaſius autem Arcas equo ſingulari, curſu Caſtor, Pollux cæſtibus; Hercules autem ipſe de luſta & pancratio coronatus eſt. Creſcebant intereà per Iſtriam & Japidiā oppida Colchorum ibi, hic Argonautarum licet modicis coloniis aucta, ſucceſcente heroum
C. ſobole datura olim viros Romænæ fortitudini pares.

ANNUS MUNDI 2855.

ANTE CHRISTUM 1198.

ÆMONÆ CONDITÆ AN. 25.

Paris Priami filius, dictus etiam Alexander, Helenam rapit Trojanibelli facem, jam antea rapti aſſuetam, vix rapiendam ſi nollet; certè dignam, cui decennales Europæ ſimul & Aſiæ ruinæ incumberent. Cum Paridem mater Hecuba pareret, viſa ſibi eſt parere facem ardentem, quæ Ilium flammis depaſceretur. Juſſus à patre interfici materno amore ſervatur, & a-
lendus

Apoll. 3. de orig De or
Diſtys Cret.
I. 3. Euleb. in
Chro Hero.
in Euterpe.
Homer. in
Iliad. Diony.

Staphyl ap.
Myth. lib. 6.
c. 8.

Plut vit. Pa-
rall. p. 1.

Diado. Reg.
Athenienſ.

Ulicar. l. 1.
& 2. Dares.
Phryg.

lendus pastoribus in Idam mittitur, vbi cum adoleviffet cæteris æqualibus robore & formâ antestans, non multò post tempore parentes agnovit. Iam Helena ex raptu Thesei recuperata Menelao inter plurimos procos delecto nupserat, cum Jupiter in Pelei & Thetidis nuptiis instructo epulo Deos accivit neglectâ Eride, quæ malum aureum misit dandum pulcherrimæ. Certabant de forma Juno divitiarum, Pallas scientiæ, & Venus voluptatum Dea: hæc Helenam illa scientiam, tertia divitias pollicebatur: Iudex & arbiter delectus Paris Veneri porrexit pomum, quæ illi adjuvamento mox fuit vt Helenam raperet. Sub fabulæ involucro latet veritas, quâ facilè quisque eruit. Nempe voluptatis illicitæ sectator Paris patriam evertit. Decennio ad Troiam bellum gestum innumeras Asiæ & Europæ gentes absumpsit, quæ latius veteres Historici persequuntur. Nostros Japides tum Græcis maiori ex parte si non subjectos, tamen vicinos & obligatos suas etiam copias submisisse pronum est conjectare.

ANNUS MUNDI 2856.

ANTE CHRISTUM 1197.

ÆMONÆ CONDITÆ AN. 26.

Dictys Cret.
Dares Phryg.

A Dulter Paris spoliatâ Menelai domo, antequam Trojam rediret, vi ventorum delatus in Cyprum & Sidonem, Regem Sidoniorum, à quo amicè hospitio acceptus fuerat per nocturnas infidias necat, indeque cum Helena, & ingenti præda duabus amissis navibus Trojam appellit. Ibi Legati Græcorum Palamedes, Ulysses & Menelaus Helenam repetebant, Paris auxilio fratrum, quæ de restituenda Helena agitabantur consilia, vi & cædibus suadentium discussit. Narrat Dictys Cretensis, qui cum Idomeneo Rege Cretensium expeditioni Trojanæ interfuit, Priamum ipsum Helenæ in cœtum Legatorum adductæ potesta-

tem fecisse domum revertendi, si vellet: illam autem respondisse, nec redituram, nec sibi cum Menelai conjugio convenire: quibus auditis regulos Priami filios cum Helena è concione discessisse, legatis contestantibus univèrsam Græciam tantum facinus acerbissimo bello vindicaturam. Concione solutâ Legati vacui & incolumes, sed non sine periculo cœdis, à regulis intentatæ, reversi sunt. Dictys narrationi fidem conciliat Dares Phrygius, qui scripsit Helenam raptam Priamo non invito, vt qui speraret se eo factò, vel Hesionem sororem, quam Telamon Herculis dono habebat, recuperaturum, vel non dissimili præda de Græcis, qui rogati Hesionem reddere noluerant, vindictam sumpturum.

ANNUS MUNDI 2858.

ANTE CHRISTUM 1195.

ÆMONÆ CONDITÆ AN. 28.

TRoiano excidio ingentes præmittuntur apparatus, & differtur gravior ventura tardo pede vindicta. Græciæ Principes Lacædæmonem convocantur, dein Argos confluunt, vbi bellum inimicitiasque in Priamum decernunt, ac solenniter jurant, non deponendas, donec Ilium atque omne Priami regnum funditus evertatur, & Agamemnone in Imperatorem electo singuli ad parandas naves & instrumenta bellica in sua regna discedunt. Pace interim fruuntur Hyperborei, & Japides nostri, & Illyrij vicini, quos hæud dubiè in belli pellectos societatem existimes. Tanta enim copiarum auxilia, quis ex sola Phrygia collecta credat. Mille, centum, & quadraginta classes congregatas in Aulide Boeotiæ scripsit Dares, & Dictys Cretensis mille ducentas, nonaginta quinque. Toto decennio, quo pugnatum est corruerunt ad Trojam Argivorum octingenta, sex millia, Trojanorum vsque ad urbem proditam sexcenta septuaginta sex mil-

Dictys. Cret.
Dares. Phry.
cit.

millia, vti idem Dares annotavit. Inter cæteras Trojanorum auxiliares copias, fuit etiam Virgineus Amazonum exercitus, quarum Regina Penthesilea Virgilio, Daretii, Justino celebrata, quam è Sarmatis Slavis oriundam probare conatur Thomas Joan. Pessina. Meritò proinde Slavi nostri de ejusdem heroicis facinoribus gloriæ sibi partem decerpant.

ANNUS MUNDI 2860.

ANTE CHRISTUM 1193.

ÆMONÆ CONDITÆ AN. 30.

LItandum erat inferis Virgineo sanguine, priusquam amore meretricio in favillas abiret Troja. Agamemnon raptæ Helenæ affinis, Menelai frater delectus à Græcis belli Imperator, vt securior fieret Trojani roboris homicida, fit filiaë patricida: Iphigeniam è Clytemenestrâ conjuge susceptam immolat Dîs vel potius Dæmonibus: adeò facta electi populi jam tunc æmulari consueverat simia infernalis. Non pridem Jephthe suam filiam ex voto Divinis imolarat honoribus excusando potius quàm laudando facinore; id anno mundi 2850. factum censent melioris notæ scriptores, & ferè inde occasionem desumptam cæsæ Iphigeniæ suspicantur. Resistit diutissimè Agamemnon dirum facinus averfante natura: Ulysses interim Mycænas navigans Iphigeniam abduxit specie & prætextu futuricum Achille connubij. Cæsam alii volunt, alii pro ea cervam substitutam fabulantur.

ANNUS MUNDI 2871.

ANTE CHRISTUM 1182.

ÆMONÆ CONDITÆ AN. 41.

Quindecies centū millibus quingentis & ultra occisorum in decenniali obsidione manibus tædas accendit Troja dum arsit, suorum et civium prodicione, vt aiunt, Antenoris

& Ænææ, quorū iste tria millia quadringentos omnis ætatis ab excidio collectos viginti duarum navium classe avexit in Latium, futurus in suis posteris conditor magnæ Romæ gentium Dominæ: ille verò ex bello diuturno, & suprema cladè superstites ad reparandam urbem animans regno excisi Ilii potitus est: quem tamen ferunt deinde pulsum navigasse in Italiam, & in ejus velut vestibulo confedisse Patavii conditorem. Sunt, qui Æneam prodicionis scelere immunem pronuntient, & culpam omnem in Antenorem refundant, vtpote, qui Legatos ad repetendam Helenam missos hospitio excepit, & Ulysses sub medici habitu latentem, non prodidit cum agnovisset. Livius utrumque excusat: Æneam quia Romanæ gentis, Antenorem, quia patriæ suæ authorem. Ait enim *Troja capta inceteros sævitum esse Trojanos, duobus Æneâ Antenoreque, & vetusti jure hospitij, & quia pacis reddendæque Helenæ semper authores fuerant, omne jus belli Achivos abstinuisse.* Pergit deinde narrare de suo Antenore: Casibus variis Antenorem cum multitudine Henetum, qui seditione ex Paphlagonia pulsi, & sedes & Ducem Rege Pylæmène ad Trojam amisso quærebant; venisse in intimum maris Adriatici sinum, Euganeisque, qui inter mare Alpesq; incolebant pulsus, Henetos Trojanosque eas obtinuisse terras, gens vniuersa Veneti appellati. Strabò verò triginta fortè annis Livio posterior de hac Venetorum origine dubitat, eosque potius à Gallis oriundos existimat; Unde inquit: *Belgæ sunt Oceanum ad colentes. De his Veneti navali pugna cum Cæsare congressi sunt. Hos ego Venetos existimo Venetorum ad Hadriaticum sinum authores: quando reliqui etiam ferè Galli, qui Italiam incolunt, ex Transalpinis eo immigraverunt regionibus, vt Boij & Senones. Propter nominis autem similitudinem Paphlagoes eos esse aiunt. Verū tanta-*

Virg. 1. Æneio. Dares Phryg de excid. Troi. Dictys Cret. de bel. Troja Just. 1. 2 Pessina. Martis Morau. 1. 1. c. 3.

Dict. Cret. lib. 2.

Sal. ad hunt an.

Liv. lib. 1.

Strabò. 1. 4.

Plin 1.3.c.18.
Sil 1.8.Ovid.
4. Faſto. Mar.
in Perig.

men pro certo id ego non affirmo. Sed Plinius allegato Catone, Silius, Ovidius, Marcianus Heracleensis, & alij conſtanter Pahplagonum & Trojanorum poſteros Venetos affirmant, quod tamen pro fabula & fictione habuit Polybius. Antenorem ad finem Adriatici maris appulſiſſe vix dubitem, ſaltem vnum ex filiis & nepotibus eodem nomine inſignitum; quascunq; gentes ſecum adduxerit, eæ, ſi non ante ipſum, poſtea certè Veneti appellati maris ejus littora occuparunt vſque ad Iſtros, qui id temporis ferè Tergeſtum vſq; protendebantur. Serò Carniè montibus in plana deſcendiſſe putantur, & partem Venetiæ ad Tilavemptum flumen ſui juris feciſſe. Cæterà Japides primum Venetis dein Carnis propinqui jam tunc longè latè que dominabantur. Sed acta manſerunt in obſcuro, communi populorum & potiſſimum ſeptentrionaliù, damno. Dum ad Trojam tot Heroes intereunt, apud Iſraëlitas aſcendit Sampſon jam decennis, paulò poſt miræ fortitudinis daturus exempla; quem novennio tardius ſubſequetur Iſai Davidis parens. Utrum ex Trojana fuga Æmonæ noſtræ aliquid incolarum acceſſerit, non auſim aſſerere, cum nemo veterum in hoc ſuam obliget fidem. Verofiſimile eſt multos terreſtri itinere è Græcia & Phrygia dilapſos, etiam in Pannonia conſediſſe. Præſertim cùm deinceps inter ipſos Trojanos ſuperſtitites certatum ſit, pulſiq; Antenorei ab Heçtoris filiis, vt tradit Eufebius, & alij.

ANNUS MUNDI 3153.

ANTE CHRISTUM 900.

ÆMONÆ CONDITÆ an. 323.

Plut. p. 1. vit.
Paral. in Lyc.
Ariſt. l. 2 de
Rep. c. 10.
Clem. Alex.
l. 1. Stromat.

LYcurgus famoſiſſimus ille Lacædæmonum Legislator declinaturus regni affectati invidioſam ſuſpicionem peregrè abijt relicta patriâ, & Joniam perlustrans in Cretam venit, rei publicæ formas obſervat, indè Aſiâ, Ægyptum, Indiam ipſam penetrat, & multarum rerum cognitione inſtructus poſt qua-

tuordecim annorum ſpontaneum exilium deſideratus à civibus revertetur, leges daturus populo non tam verbis quàm factis. Joniam cum legis, temporibus hiſce ad mare Adriaticum latè extenſam fuiſſe exiſtima, vnde & Jonicum olim mare dictum, quod nunc Adriaticum appellamus. Ejus cultores fuiſſe etiam Japides noſtros, aut certè proximos ex Apparatu conſtat, cum Jonicum mare ex parte cum Liburnis adcoluerint. Cæterum teſte Plutarcho, omnia quæ ad Lycurgum perinent ſunt controverſa, & potiſſimum ejus ætas. Alij enim multo juniorem eum faciunt, & peregrinationem ejus differunt ad an. M. 3170. ac reditum in patriam ad an. M. 3184. de quo vide Salianum.

ANNUS MUNDI 3242.

ANTE CHRISTUM 811.

ÆMONÆ CONDITÆ an. 412.

ANnis poſt Medorum initium duobus & Sexaginta ex ſuppuratione Petavij, Macedonum Imperium fundatum eſt Illyricæ virtutis cos à Carano Argivo Phidonis fratre, ejus, qui menſuras & pondera primus inveniſſe dicitur. Horum genus ab Hercule deductum, à quo Caranus vndecimus Dexippo, Velleio ſextuſdecimus putatur: qui contractâ ex omni Peloponeſo validâ manu in Macedoniâ venit, ibique regnum auſpicatus eſt. Hinc ſe Macedoniae Reges nec non Alexandrini ab Lagida Ptolomæo Macedone oriundi Heraclidas ferebant: adeò jam olim mortalibus congenitum fuit nobile affectare ſtirpè. Principiò Macedones anguſtis clauſi finibus, varia ſed obſcura cum vicinis Dalmatis, Liburnis, & vt credere par eſt Japydibus, quin & Thracibus geſſere bella, donec Philippus & filius ejus Alexander immortales gloriæ lauros genti decerperent. A Carano, vt ait Velleius, Magnus Alexander fuit decimus ſeptimus, *jure materni generis Achille authore, paterni.*

Pet. Ration.
temp. l. 2. c. 4.

Dexip. in
Exer. Euf. in
Chron. Vel.
l. 1. Pind. O-
lymp. 13.
Theoc. Idyl.
17.

Her-

Hercule gloriatus est: Quamquam postea Fortunæ successibus inflatus Jovis filius credi voluerit.

ANNUS MUNDI 3278.

ANTE CHRISTUM 775.

ÆMONÆ CONDITÆ AN. 448.

USque ad Olympiadas ut inquit Africanus apud Eusebium, nihil exploratum in Græcorum historia invenitur, sed omnia confusis sunt conscripta temporibus. Post Olympiadas verò quoniam quadriennio diligentissimè omnia renovabantur, nulla penitus est temporum confusio. Hinc factū, quod licet gesta nonnulla Græcorum, qui latissimè dominati sunt, in literas relata sint, nullis tamen certis attribui poterunt temporibus, indeque multa fidè quam habere poterant, periderunt. De nostris Japidibus altum ubique silentium; verosimile tamen est florente Græcorū imperio, Græcis paruisse; donec sensim decrescente potentiâ, & intestinis bellis afflictâ Græciâ vicini populi suos sibi Reges deligerent, Illyrij, Pœones, Norici, Celtæ, &c. de quibus subsequenter seculis plura occurrent enarranda. Annus igitur iste ante Christum 775. profanam historiam in ordinè nobis incipiet redigere, saltem ex probabili opinione: sunt enim qui biennio, imò & triennio anticipent: quod etiam accidit supputationibus Romanis per annos urbis Conditæ, & per Consules; quæ tamen nos minimè à pertexenda Chronologia remorabuntur. Nemo vnus hætenus ad amissim ordinavit suam Chronologiâ, & sunt hic ferè quot capita tot sententiæ, ut initio advertimus. Rem teneamus, & gesta; si non omnia suis annis reponere licuerit, veniam merebimur, quæ aliis authoribus ultrò datur. Origo verò hujus supputationis per Olympiadas illa est, quam Solinus obiter perstringit: *Certamen Olympicum, quod Hercules in honorem avi materni Pelopis ediderat, intermissum Iphiclas filius ejus instauravit, post*

excidium Troiæ anno 408. Ergò ab Iphiclo numeratur Olympias prima. Alij Iphiclum Herculis fratrem gemellum faciunt; vtrique; erroneè, cum Hercules, qui ludos Olympicos primus instituit alquot seculis præcesserit, ut refert Eusebius, assignans agoni Olympico annum primum Teutanis Assirij, qui correspondet anno mundi 2849. Et ex narratione Pausaniæ satis constat primum authorem Olympiorum fuisse Herculem Idæum, post quem sæpius intermissi, & rursus instaurati fuerunt hi ludi, usque ad Herculem Amphitryonis filium, qui eos celebravit Elide captâ. Ubi ex victoribus primus coronam accepit ab ipso Hercule Jolus ejus auriga, ut supra retulimus, quod ante Trojanum excidium contigisse oportuit. Tandem Iphiclus de genere Herculis (quem alij Iphitum scribunt) cum jam veterum ludorum obsolevisset memoria, novos exortus est, adjecta eâ diligentia ut nomina victorum singulis ludis annotarentur, quod in prioribus fuerat intermissum. In hoc restauratarum Olympiadum initio vicit Choroebus Eliensis agone gymnico, ut habet Eusebius, vel curtu ut Pausanias retulit. Eliensem fuisse gavissus fuerit restaurator ludorum Iphitus Elæorum Rex, nisi fortè datum fuerit favori iudicium, quod debebatur virtuti. Elis autem ad quam hi ludi celebrabantur oppidum fuit Peloponnesi, quod si ex Japidia nostra maritimo itinere petas propinquius observaveris, quàm altam Germaniam; littus enim maris Adriatici seu Jonij radendo, Dalmatiam, mox Corcyram Cephalleniam, Zazynthum, insulas pretervectus Peloponnesum attinges.

ANNUS MUNDI 3281.

ANTE CHRISTUM 772.

ÆMONÆ CONDITÆ AN. 451.

NAscuntur magnæ potentiæ futuri Principes Romulus & Remus, quibus pro elogio nomen sufficit:

sufficit: dum Judæ regnum administrat Joathan, Phacea Israëlis, Theglath-Phalasar Assiriis imperat, post Trojam excisam anno 411. Quid interea per quatuor secula Trojani exules in nostra Japidia, quid antiquiores ijs inquilini Japetides seu Japides, & quos fortè Jason reliquerat Æmonienſes iſthic egerint, nullus hodie Oedipus divinet.

ANNUS MUNDI 3302.

ANTE CHRISTUM 751.

URBIS CONDITÆ AN. 1.

ÆMONÆ CONDITÆ AN. 472.

Romulus & Remus Amulio & Rhea geniti, miraculo ſervati dum lupæ lac fugunt, inter paſtores ignari natalium ad annum ætatis decimumoſtavum educati, auſpiciis avi Numitoris hoc anno Romam condunt, quam illico Remus ſuo ſanguine initiat, fratris an alieno ſcelere peremptus, incertum. Romulus vrbs magnitudini intentus, locum inter Capitolium & arcem ſitum fano extructo aſylum eſſe voluit foeci hominum flagitioſorum, quos aliæ vrbes excluſiſſent, ac per ſpeciem religionis impunitatem promiſit ſupplicibus: inde mox aucta colonia, quam Albâ deduxerat, Albæ ipſi non multò poſt formidabilis evaſit. Dabunt nobis deinceps Urbis conditæ anni certioreſ rerum geſtarum ordinem, à quibus tamen ſicubi vno alterove anno receſſerimus, id variæ authorum ſupputationi tribuendum erit, præſertim cum à vere Romæ conditæ annos, ab autumno Olympiades numerare oporteat. Cæterum illud altè imprimendum memoriæ, quæ initia fuerint Romæ rerum Dominæ; ex latronibus tam nobilis Urbs coaluit! Dicant nunc Græci *Kakòs kòrakos kakòn oòn*. Non ſemper mali corvi malum ovum; etiam accipitres columbas pariunt. Nihil mirum, quia ex columbis sæpè iterum fiunt accipitres.

Solin Poly-
hiſt. cap. 2.
Clem. Alex.
l. 1. Strom.
Dionyf. Ha-
licarn. l. 1.
Liv. l. 1. hiſt.

ANNUS MUNDI 3303.

ANTE CHRISTUM 750.

URBIS CONDITÆ AN. 2.

ÆMONÆ CONDITÆ AN. 473.

Primas Romæ colonias recensens Romulus, peditum numerat tria millia, equites non omninò trecentos; parvus numerus ſi cum augmento paucorum annorum contuleris, magnus omninò ſi exordia rerum attendas, quæ ſemper exilia eſſe ſolent. Jura daturus populis venerabilem ſe per inſignia imperij fecit, aſſumptis Hetruſcorum exemplo liſtoribus duodecim, qui latus prodeuntis ſtiparent. Alij ab numero avium, quæ augurio regnum portenderant eum ſecutum numerum putant. Deinde vniverſâ multitudine tripartito diviſâ, ſingulis ſingulos præfecit Duces; & vnamquamque ruſus in decem partitus totidem eis Duces præpoſuit. Harum partium majores, Tribus; minores, Curias appellavit, & tribus præpoſitos Tribunos; curiis Curiones dici voluit. Curia ruſus in Decurias ab eo tributæ ſunt, & ſuis cuique Decuriæ Rector præfuit Decurio vulgo dictus. Cætera ſenſim, quæ ad plenam Regij & nominis & muneris majestatem ſpectant, aggreſſus, id vnum curæ habuit, vt vnus voluntatis efficeret, quos è diverſis populis collegerat, ratus incipienti Reipublicæ nihil pernicioſius eſſe diſcordiâ, nihil conſervandæ vtilius concordiâ.

Dionyf. Ha-
lic. l. 1.

Liv. lib. 1.

ANNUS MUNDI 3378.

ANTE CHRISTUM 675.

URBIS CONDITÆ AN. 77.

ÆMONÆ CONDITÆ AN. 548.

Carnia feſta inſtituuntur apud Spartanos, in honorem Apollinis, cujus vatem Carnum Heraclidæ interfecerant. Cum enim peſtis ea de cauſa populum invaſiſſet conſultum oraculum hæc feſta ſuaſit, quibus peractis ceſſavit peſtis. In iis autè certamen

Athenæ De-
ipnoſ. l. 14.

erat

erat citharoedorū, quorum primus Terpander vicit. Lucū Apollinis Carnei memorat Pausanias, in quo perennis aquæ fons erat. Agebantur hæc festa diebus novem in novem tabernaculis, in quorum singulis novem cænabant homines, nimirum tribus ex Curiisterni dilecti, ut est apud Athenæum. Mensis Majus ab hisce festis apud Lacædæmonios dictus est Carnius, cujus meminere Thucydides, & Plutarchus. An fortè ab hoc Carno Apollinis vate nostri Carni & deinceps Carnioli nomen mutuarunt? an ipse vates Apollinis non tam nomine quàm natione Carnus?

Pausan. l. 4.

Thucyd. l. 1. §.
Plut. in Nic.

ANNUS MUNDI 3382.

ANTE CHRISTUM 671.

URBIS CONDITÆ AN. 81.

ÆMONÆ CONDITÆ AN. 552.

Numa Pompilius alter à Romulo Romanorum Rex morte suâ signavit hunc annum; id consecutus quadraginta trium annorum regno, ut & à subditis amaretur, & finitimi eum æmularentur, & posterii honorificâ memoriâ celebrarent; quippe, qui prospexerit ne vel intestina seditio civium concordiam dirimeret, vel externum bellum ab optimis & præclarissimis studiis civitatem averteret: pace amplius quàm bello sollicitus acceptam stabilire potentiam.

Liv. l. 1. Dio.
Hal. l. 2.

ANNUS MUNDI 3449.

ANTE CHRISTUM 604.

URBIS CONDITÆ AN. 148.

ÆMONÆ CONDITÆ AN. 619.

Anus hic, qui natalis fuit Dario Medo, & Cyro Persici Imperii fundatori vel instauratori, Celtas primum induxit Carniolix nostræ. Hi pars Germanorum seu Hyperboreorum veterum cum latè Germaniam (nondum hoc vocabulo notam) & Galliam ad Rhenum, Mosam, Danubium colerent, pro locorum varietate varias habuerunt nomenclaturas, po-

A. tissimum Celtæ nominati, quod nativâ lingua frigidus sonabat, utpote septentrionales. Sensim verò crescente, & numero eorū & potentiâ restrictum est Celtarum nomen ad eos populos hodiernæ Gallix, quos Bituriges dicimus, quod deinde rursus ampliatum per colonias, Italix, Japidiæ, Thraciæ, Græciæ, id prodit ipse Livius cum de Alpe Julia, quæ est prima omnino Japidia (Carsum hodie & Pyrina sylva) & transitu Gallorum in Italiam differit. Prisco Tarquinio Romæ regnante, Celtarum, quæ pars Gallix tertia est, penes Bituriges summa Imperij fuit, ii Regem **B.** Celtico dabant. Ambigatus is fuit virtute fortunæque cum suâ tum publicâ præpollens: quod in imperio ejus Gallia adeò frugum hominumque fertilis fuit, ut abundans multitudo vix regi videretur posse. Hic magno natu ipse jam exonerare prægravante turbâ regnum cupiens, Bellovesum ac Sigovesum sororis filios impigros juvenes missurum se esse in quas Dij dedissent auguriis sedes, ostendit: quantum ipsi vellent numerum hominum excirent, nequa gens arcere advenientes posset. Tum Sigoveso fortibus dati Hercinij saltus, Belloveso haud paulò lætiorem in Italiam viam fortuna dabat: Is quod eis ex populis abundabat Bituriges, Arvernos, Senones, Heduos, Ambarros, Carnutes, Aulercos excivit. Profectus ingentibus peditum equitumque copiis in Tricastinos venit. Alpes inde oppositæ erant, quas inexsuperabiles visas non mireris, nulla dum via, quod quidem continens sit memoria (nisi de Hercule fabulis credere libet) superatas. Ibi cum velut septos montium altitudo teneret Gallos, circumspectarentque; quam per juncta cælo juga, in alium orbem terrarum transfirent, religio etiam tenuit, quod relatum est advenas quærentes agrum ab Salyum gente oppugnari: Massilienses erant hi, navibus à Phocide profecti. Id Galli fortunæ

Liv. l. 6. hist.
Adelzreit. P.
l. lib. 1.

suæ omen rati adjuvare, vt quem primum in terram egressi occupaverant locum, patentibus sylvis communirent. Ipsi per Taurinos, saltusque Juliæ Alpis transcenderunt: fusisque acie Thuscis, haud procul Ticino flumine, cum in quo confederant agrum Infubrium appellari audissent, cognomine Infubribus pago Heduorum: ibi omen sequentes loci condidere urbem, Mediolanum appellarunt. Scio contra vulgatas editiones existimare Cluverium, narrationem Livij corrigendam, & legendum pro saltus Juliæ Alpis, *inviæ Alpis*, vel planè *Taurino saltu invias Alpes transcenderunt*. Verùm nulla hic opus putem correctione. Nam & Taurinos, seu quod idem hoc loco sonat, Tauriscos ostendere possumus in antiqua Carniola, vt patet ex Apparatu, deinde saltus Juliæ Alpis nobis sunt notissimi, ita vt si aliæ Alpes saltuosæ non sunt, certè nostræ saltu & sylvâ horridâ sunt confitæ, vt nihil dubitare oporteat Bellovesum cum fratre vsque ad Hercinium saltum progressum, deinde in Pannonias digressum, & in Japidiam nostram delatum, saltus Juliæ Alpis penetrasse, indeque velut omnium facilimo Alpium transitu superato ad Infubres pervenisse ac Mediolanum condidisse. Quo & illa spectat observatio, quod verò simile sit, nonnullas Bellovesi copias resedisse in via, & alias etiam terras occupasse, à quibus deinde in hodierna Austria Carnunti, à Carnutibus, quin etiam fortè Carni ipsi, & Senienses ac Senofetzenses nostri à Senonibus nomina desumpserunt: qui cum remoti ab aliis Alpibus, vicini verò Juliis Alpibus sint, meritò conjecturare possumus Gallorum in Italiam transitum primum de quo Livius scripsit, accidisse per nostram Japidiam veterem, & Sylvam Primam sive saltum Juliæ Alpis: præsertim cum sequentia deinceps temporum monumenta Gallos seu Celtas (ita nunc promiscuè appellati sunt)

Ciu. Ital. ant.
I. 1. c. 33.

A. accolas maris Adriatici & proximæ Japidie passim exhibeant. Mixti ergò nunc Japydibus nostris Celtæ habitare cæperunt, & Idioma Germanicum miscere Græco, vti ex observatione Lazij, & multarum vocum consonantia liquet. Credibile est hanc gentem sensim adedò auctam, & dilatatam, vt antiquas Japydum familias extingueret, servatâ tamen Provinciæ nuncupatione. Occurrit hic ad firmandam modo allatam opinionem, quod per saltum Taurinum Livius intellexerit saltum Tauriscum, seu Tauriscorum, quos certum est sedisse in nostris montanis contiguos imò conterraneos Japydibus, id quod apud Stephani Epirotomorem reperio: *Taurisci gens circa Alpes, dicuntur etiam Taurini, vt Polybius habet lib. 3. Eratosthenes Teuriscos appellat*. Alibi tamen Livius per Taurinos, vt ex contextu apparet, alios populos intellexit. Facit huc etiam locus Pompeij Trogi apud Justinum, qui de primo Gallorum in Italiam transitu hæc habet: *Galli abundantanti multitudine, cum eos non caperent terræ, quæ genuerant, trecenta millia hominum ad sedes novas quærendas, velut ver sacrum miserunt. Ex his portio in Italia consedit, & portio in Illyricos sinus ducibus avibus (nam augurandi studio Galli præter cæteros callent) per strages Barbarorum penetravit, & in Pannonia consedit, gens aspera, audax, bellicosa, Alpium invicta iuga, & frigore intractabilia loca transcendit: ibi domitis Pannoniis, per multos annos cum finitimis varia bella gesserunt*. Non ergò totus exercitus Alpes transiit, sed pars sinus Illyricos, haud dubiè nostræ Japidie, pars Pannoniam occupavit. Nec est, quod quempiam offendat vocabulum Juliæ Alpis, quasi hunc transitum in Italiam aperuerit Julius Cæsar, qui post multa secula vixit: Livius, qui scribebat post ætatem Julii hoc nomine velut suo tempore notissimo vsus est, cum antea Alpes istæ communi vocabulo Alpium, vel Ocræ montis

Laz. Migrat.
lib. 1.

Just. 1. 24.

tis vel Carufadii nuncuparentur, per quas dudum ante Julium transitum fuisse etiam Romanis cognitum plura deinceps afferenda ostendent. Sic etiam idem Livius per anticipationem nominavit Germanos, cum de Gallorum primo in Italiam transitu ageretur, quod tamen nomen teste Tacito circa tempora inchoati Romani Imperii enatum est. Hoc loco indicanda est Velferi, quem secutus est nuperus Boicæ historiæ scriptor, vana conjectura de Gallis, qui Delphos profecti, deinde in Asiam transfretarunt, & Gallogræciam seu Galatiam condiderunt. Putant enim hi Auctores, quod exercitus, quem Belloneus duxit totus in Italiam transferit Sigovesi verò turma Hercynio saltui Boiohæmi nomen intulerit, & hujus non illius posteros auctis familiis in Pannoniam & Illyricum diffusos, qui postmodum digressi in Græciam Galatiam condiderint. Contrarium verò elicitur ex modo allegato Justini loco, & ex Livii verbis, quòd videlicet dum Bellovesus cum suo exercitu transfret in Italiam, pars ejus hæserit circa mare Adriaticum & per Illyricum ac Pannoniam sit dilatata. Unde coacta est illa derivatio Tolistobogorum (quos Strabo Tolistobogios nominat) à Boiis, quasi illi ex Boiohæmo profecti Delphos contendere: nulla enim mentio Boiorum apud veteres auctores, vbi agunt de expeditione Delphica, sed de Gallis circa mare Adriaticum colentibus, & in Illyrico multiplicatis, vt cogere nos novae sibi sedes inquirere. Non ergò Boij ex Boiohæmo, sed nostrates Galli ex posteris Bellovesi exercitus Galatiam fundarunt in Græcia. Quod verò inter hos turma aliqua nomen habuerit Tolistobogorum, vel Tolistobiorum vt Appianus, & Stephanus Byzantius eos appellant, id potuit alia ex causa vel occasione enasci; neque argui potest ex modica nominis affinitate illos fuisse Boios. Cur non etiam hi auctores prætendant, O-

Adelz. P. 1.
lib. 3. n. 4.

A. bios seu Riphæos fuisse Boios, & per litterarum metathesim sic appellatos? cur non Hamaxobios Sarmatas Europæos inter suos eodem jure accenserent? Nempe, vt alio loco Adelzreiter fatetur, inane est *ex nescio quo dictionis sono, quoniam nihil ad suadendum infirmius*, venari cognationem gentis. De hoc plura ad Annum M. 3775. vbi de expeditione Delphica agemus.

Idem P. 1. l.
§. num. 3.

ANNUS MUNDI 3455.

ANTE CHRISTUM 598.

URBIS CONDITÆ AN. 154.

ÆMONÆ CONDITÆ AN. 625.

B. **P**hilippus Argæi filius Rex Macedonum moritur, relicto filio infante Europo, quem alii Æropam scribunt. Hujus ætate spretâ Illyrij (quorum jam tunc portio Japidia & Liburnia, vel certè sociæ) arma corripunt, bellum Macedonibus inferunt, qui primo prælio victi, mox certamine repetito, Regem suum in cunis productum ante aciē collocant: atq; ejus aspectu tantum ardorem animo concipiunt, vt magnâ strage fuis hostibus, nobilem de iis victoriam reportaverint. Assidua hisce temporibus bella Illyrijs cum Macedonibus, quin & Thracibus, sed obscura defectu scriptorum.

Just lib. 7.

C. ANNUS MUNDI 3460.

ANTE CHRISTUM 593.

URBIS CONDITÆ AN. 159.

ÆMONÆ CONDITÆ AN. 630.

Secundus circa hunc annum Galorum in Italiam transitus annotatur à Livio sub Tarquinii Prisci regno, quos ille Germanos anticipatione vocabuli nominat. Ducem secuti Elytovium, favente Belloveso, qui nuper transfret, vestigia priorum præferunt, & cum eodem saltu Alpes transcendissent per nostram videlicet Sylvam Pyrinam; vbi nunc Brixia ac Verona vrbes sunt confedere. Post hos Salluvij Gallici item populi incertum tamen, quo anno

Liv 1 § Gen.
in. Chron.

anno, Sallios Plinius, Sallies Strabo vocat, petiere Apenninum : deinde Boii Lingonesque transgressi, cum jam inter Padum atque Alpes omnia tenerentur, Pado ratibus trajecto non Hetruscos modo, sed etiam Umbros agro pepulerunt, intra Apenninum tamen sese tenuere. Tum Senones (vt infra dicemus) recentissimi advenarum ab Usente flumine vsque ad Athesim fines habuere. Interea magnam Pannoniae, & Japidiæ, quin & Taurisciae & Norici partem, si jam hæc nomina fuerunt nata, & non potius ab ipsismet Celtis adinventâ occuparunt, hæc gentes non multo post Romanæ fortitudinis æmulæ, & terror omnium populorum.

ANNUS MUNDI 3501.

ANTE CHRISTUM 552.

URBIS CONDITÆ AN. 22.

ÆMONÆ CONDITÆ AN. 671.

Thoma. MS.
Chron.

SI quæ fides Joanni Thomafich Minoritæ Bossnensi, qui centum abhinc annis vixit, & breviculam Croatiae Chronologiam contexuit, habuitq; fortè antiqua aliqua chartophylacia, quibus vsus est, ad hunc annum referri debet prima constructio oppidi Weixelbergæ in Carniolia. Sed quod præfatus author scribat eam à Colchis conditâ, vereor, vt aberraverit sive in nomine conditorum, sive in numero annorum, quia Colchi mille & pluribus annis ante Christum in has oras delati sunt, vt dicebamus ad annum Mundi 2832. nisi fortè scribere voluerit ab Istris seu Istrianis Colchorum posteris conditam. Mallem ego id Gallis hoc tempore per Illyricum & Pannoniam diffusis attribueri. Quo autem nomine Weixelberga antiquitus appellata sit, Oedipo indiget.

ANNUS MUNDI 3548.

ANTE CHRISTUM 505.

URBIS CONDITÆ 200.

ÆMONÆ CONDITÆ 718.

Hoc anno putat Thomafich conditam Seniam ad Flanaticum finem à quodam Græco Tebio Tillio, id vnde hauserit ignoro: nomen conditoris suspectum est, nec sapit Græciam. Verius est conditam Seniam à Senonibus Gallis, quos in Illyrico diximus confedisse, portionem exercitus Bellovesi ante centum abhinc años. Cluverius vbi de Senonibus agit, nullam facit mentionem Seniae Liburnicæ, sed quidquid apud veteres legit de Sena vel Senia id tribuit Senogalliæ, dudum post nostram ad oppositum latus ejusdem Adriatici maris conditæ: videtur ejus non habuisse notitiam, vel aliam existimasse, quod hodie ab Italis Segnia, à Germanis Zeng appelletur. Ego verò nihil dubitem passim nunc conditas novas colonias in Japydia nostra & Liburnia, succrescente in iis Gallorum sobole, & junctis per matrimonia indigenarum cum advenis familiis auctam gentem de amplioribus habitationibus fuisse sollicitam.

Thomafich.
sup.

Cluv. Ital.
antiqu. l. i.
c. 29.

ANNUS MUNDI 3638.

ANTE CHRISTUM 415.

URBIS CONDITÆ 337.

ÆMONÆ CONDITÆ 808.

Merufium sive Modrusa conditur à Græcis, vt tradit Thomafich. Vetus Japydiæ, nunc Liburniæ oppidum est. Non abludit à verò Græcos jam in decimum sextum annum Peloponesiaco bello intentos, domesticarum jactationum pertæsos cum pluribus familiis in vicinas oras discessisse, & impetratis agris colonias aliquas condidisse, nisi malis hoc nostris Gallis Adriatici maris accolis adscribere. Interea Athenienses supra vires animosi, non Lacædæmoniis solum sed & Siculis arma intulerunt, spe vanè concepta Siciliae totius subjugandæ.

Thoma. MS.
Chron.

Thucyd. l. 6
Diod. sic. l.
12.

ANNUS MUNDI 3660.

ANTE CHRISTUM 393.

U R.

URBIS CONDITÆ AN. 359.
ÆMONÆ CONDITÆ AN. 830.

A. URBIS CONDITÆ AN. 363.
ÆMONÆ CONDITÆ AN. 834.

Circa hunc annum Galli Senones ingressi Umbriam condiderunt Senam ad litus maris Adriatici inter Pisaurum & Anconam mediam, quæ ab ipsis nomen obtinuit Sena Gallica, & Senogallia. Unde verò & quæ via illuc penetraverint, cum prius in Italia nulli Senones fuisse memorentur, ignorari ait Cluverius. Sed facile est divinare, non aliunde eos in Umbriam transgressos, quam ex nostra Japydia & Liburnia, in quibus pridem confederant, præsertim cum Senogallia per directam lineam opponatur Senæ Liburnicæ, & unâ alterius littus respiciat, nisi quod Insulæ Absyrtides medient. Si Livij textus accuratè legatur, satis approbat conjecturam. Nam ut sup. ad an. V. C. 149. diximus Bellovesus transiens in Italiam, præter alios populos secum duxit Senones, Carnutes, &c. neque tamen omnes Italiam tunc ingressi sunt: quia addit alio tempore subsecutos Salluvios, rursus alio, Bojos & Lingones, ac demum: *Senones recentissimi, ab Usente flumine usque ad Athesim fines habuere.* Cluverius censet legendum usque ad Aesim fluvium. Quomodo sunt recentissimi advenarum in Italiam si ante ducentos annos Bellovesum in Italiam sunt comitati? nempe hi subsederant in Illyrico & Japydia, ut ex Justino supra meminimus: *Portio Illyricos sinus per strages Barbarorum penetravit, & in Pannonia consedit.* Hi ergò nostri Senones, quibus Senia Liburnica, & nostra Senosetza Japydica originem debent, trajecto sinu Adriatico per rectam ejus lineam ex opposito Senæ Liburnicæ condiderunt Senam in Umbria, de suo nomine dictam Senogalliam.

ANNUS MUNDI 3664.
ANTE CHRISTUM 389.

GAlli Senones, qui jam ab Usente flumine Ravennam præterfluente ad Aesim qui non procul Ancona distat, omnia occupaverant, Clusium Tusciæ oppidum aggreduuntur adscitis etiam cæteris Gallis circumpadanis. Clusini novo bello exterriti, cum multitudinem, & invistatâ formas hominum cernerent, quam nullum jus societatis aut amicitiae cum Romanis haberent, legatos tamen Romam miserunt, qui auxilium peterent. De auxilio nihil impetratum. Legati viceversa tres missi M. Fabij Ambusti filij, qui senatûs P. Q. R. nomine cum Gallis agerent, ne amicos à quibus nullam accepissent injuriam oppugnarent. Mitem Legationem corrupit ferocia Legatorum. Cum enim respondissent Galli: si partem agri quemlatius possideant, quam colant Clusini concedant colendum Gallis, pacem impetrari posse: Secus si negatur, coram iisdem Legatis dimicaturos. Legatis quærentibus, ecquid in Hetruria rei Gallis esset, quodnam id jus agrum petere, vel arma minari? cum illi se in armis jus ferre, & omnia fortium virorum esse dicerent, accensis vtrinque animis ad arma concurritur, ipsi Legati contra jus gentium arma capiunt. Q. Fabius extrâ aciem vectus, equo Ducem Gallorum per latus transfixum hastâ occidit. Versa mox à Clusivis ira in Romanos: missi qui quererentur injurias, postularentque ut pro jure gentium violato Fabij dederentur. Senatui nec factum placuit Fabiorum, cum jus postulare viderentur Galli; nec in tantæ nobilitatis viris quidquam decernere visam; cognitio remissa ad populum, apud quem tanto plus gratia, & opes valere; ut quorum de pæna agebatur, ij Tribuni militum consulari potestate in

Liv lib 5.
Adelzeiff B.
I. I. I. 2. 1. 1.

Cluv. Ital.
ant. l. 2, c. 5.
p. 609.

Idem l. 1.
Ital. cap. 33.

Justin. l. 24.

G

annum

annum sequentem crearentur. Quo facto commoti Gallorum Legati palam Romanis bellum denuntiarunt.

ANNUS MUNDI 3665.

ANTE CHRISTUM 388.

URBIS CONDITÆ AN. 364.

ÆMONÆ CONDITÆ AN. 835.

GAlli, postquam accepere, vltro honorem habitum Fabiis violatoribus juris humani, Duce Brēno citato agmine iter ingrediuntur, & territis vndeque vrbibus Romam petunt. Ægrè illis tumultuario exercitu raptim ducto ad vndecimum lapidem ab vrbe Fabius Consul occurrit. Non alia foedior clades. Fufus fugatusque Romanus miles. Itaque hunc diem fastis Roma damnavit. Jam mœnibus vrbis appropinquabant hostes: nulla aderant præsidia. Maiores natu amplissimis vfi honoribus in forum coeunt: ibi devovente Pontifice, Diis se Manibus consecrant; statimque in suas quisque ædes regressi, sicut in trabeis erant, & amplissimo cultu in curulibus Sellis sese posuerunt, vt quum venisset hostis in sua dignitate morerentur. Pontifices, & Flamines quidquid pretiosum in templis erat, partim in doliis defossam terræ recondunt, partim impositum plaustris secum auferunt. Iuventus, quam satis constat vix mille hominum fuisse, Duce Manlio arcem Capitolini montis infedit. Aderant interim Galli apertamque urbem primo trepidi, ne quis subesset dolus: mox vbi solitudinem vident, pari clamore, & impetu invadunt. Patentes passim domos adeunt, sedentes in vestibulis viros, ornatu & habitu corporis maiestatem humanam maiorem venerantur, & velut ad simula defixi hærent. M. Papyrius vnus ex his dicitur Gallo barbam suam, vt tum omnibus promissa erat, permulcenti, Scipione eburneo in caput incuf-

L. Annæ. l. 1.
c. 13. Liv. l. 5.
Polyb. l. 2.
Adelzreit P.
1. l. 1. n. 16.

Afo iram movisse: atque ab eo initium cædis ortum, cæteros quoque in sedibus suis trucidatos. Post Principum cædem nulli deinde pepercit furor, direptæ ædes, vacuis injecti ignes: obsidione cinctum denique Capitolium. Sed quia tantæ multitudini commeatus deerat frumēto penè omni per incendium absumpto, pars in agros vicinos excurrit pabulatum, pars in obsidione hæsit totos sex menses, nihil intentatum relinquens. Nocte subeuntes & clangore anserum proditos excitatus Manlius à summa rupe dejecit, & vt spem hostibus demeret, quanquam in summa fame, tamen ad speciem fiducia panes ab arce jaculatus est. Abitum tandem pacti Galli mille pondo auri, cum jam id appenderetur & gladium ponderi velut victores per insolentiam adderent, Camillus, qui Ardeæ exul paulò ante inter pabulatores stragem ediderat, superveniens, aurum dari prohibuit, & ferro decertans Gallos vrbe expulit, fudit, extrà mœnia persecutus, viâ Gabinâ, quo se retraxerant, penitus delevit (si fides Livio Romana amplianti) vt ne nuntius quidem cladis superesset. Adeò sæpè fortunam in manus involantem excludit iracundia, quæ nullo regitur consilio. Sed citrà affectum Polybius Græcus scriptor notavit Gallos per id tempus, quo Capitolium obfidebant, Venetis eorum regionem infestantibus, retrocedere coactos, foedere cum Romanis percusso, ac restituta vrbis libertate, domum remigrasse. Deformatam, & cineribus immerfam urbem deserturi erant cives residui, nisi Camilli prudens oratio eos ad reparationem animasset. Surrexit postea melior Roma, sed neque Galli animos desponderunt, eandem iterum relegendi viam, postquam didicerant victorem populum suis armis devinci posse. Huic expeditioni etiam interfuisse nostros Japydes, quibus jam Galli permixti circum Istriam habitabant, vel tanquam

Polyb. lib. 2.

locios, vel tanquam ad prædam invitatos verosimile est, cum inter Transalpinos Gallos, & quidem Senones, nostri illi Japydes Galli censerentur. Certè magnum fuisse oportebat exercitum, qui securus Clusio Romam vsque contendit, vt nullas in futuro reditu remoras metueret. Et vix est credibile tantam multitudinem, de qua Livius, Quacunque ibant equis virisque longè ac latè solo agmine immensum obtinentes loci: ex solis illis Senonibus, qui ab Vfsente ad Athesim constiterant, coaluisse, quin potiùs verò propinquum adlectas etiam copias aliorum Gallorum Transalpinorum: & nullum dubium de nostris Senonibus, qui ad Seniam & Senoietzam remanserant. Porro & illud hoc loco monuisse profuerit, expeditionem hanc ab aliis vno anno anticipari, ab aliis vno tardius reponi, quod oritur ex varia Consulum combinatione. Megiserus in sua historia Carinthiaca refert Romam captam à Brenno Anno M. 3584. ante Christi nativitatem 387. in hoc vnico an. à nobis distat, in illo numero annis 81. quod mirum non est cum annos mundi, vti initio vidimus, Chronologi diversimodè numerent. Sed quod idem Megiserus Brennum hunc, qui Romam cepit, asserat fuisse filium Spargapisis, nepotè Brenni II. ex Tomyride Massagetarum Regina, quæ Cyrum Persarum Regem divicit. planè fabulosum est, nec Livius, Justinus, Pausanias, Diodorus Siculus, Polybius, quos citat quidquàm simile habent, veteres authores Spargapisem Tomyridis filium defunctum innuunt seu occisum minorem, & absq; prole. Deinde quis credat Germanos, seu Celtas id temporis jam per ducentos annos Italiae inquilinos, vel Ducem alienigenam ex Scythia, & Massagetarum regione petiisse, vel vxores inde quæsisse. Imò Megiserus se ipsum confundit, dum Spargapisem ponit occisum an. M. 3442. Brennum verò ejus filium an. M. 3609. qui si vel posthumus fuisset, hac ratione annos

A. 166. excessisset vivendo, quod de illo intemperanti, & militari seculo creditu difficile, & saltem à Brenno jam sene an. M. 3584. juxta computum Megiseri susceptam expeditionem, captam Romam abhorret à vero. Aventinus paulò mitius finxit, dum vnicum agnoscens Brennum ex vetustis Germanorum cantilenis tradidit eum cum Romanis per annos centum & decem bella gessisse. Id fortè potuisset accidere, vt jà grandævus per alios præstaret, quod ante juvenis egerat: sed è Celtarum genere fuerit, non Massagetarum.

ANNUS MUNDI 3681.

B. ANTE CHRISTUM 372.

URBIS CONDITÆ AN. 380.

ÆMONÆ CONDITÆ AN. 851.

A Myntas Menelai filius Amyntæ Regis Macedonum patrue-
lis, idemque post patrum Rex Macedonum insignis industria, & omnibus Imperatorijs virtutibus instructus, qui ex Eurydice tres filios sustulit, Alexandrum, Perdica & Philippum Alexandri magni patrem, circa hunc annum vita excedit. Regni gubernacula adit maior natus Alexander, qui inter prima regni initia bellum ab Illyriis pactam mercede, & Philippo fratre dato obside redemit. Philippum Illyrii Thebanis observandum tradiderunt. Thebis triennio obses habitus prima pueritiæ rudimenta (vndecimum tunc agebat annum) in vrbe severitatis antiquæ, & in domo Epaminondæ summi & Philosophi & Imperatoris egit. Magnam hoc tempore pollebant potentiam Illyrii, totum latus Adriatici maris quod orientem respicit (olim & Jonicum, & Illyricum, & Liburnicum appellatum) complexi Appiano teste, Amyntam memoratum vectigalem sibi fecerant & tributarium, vt ex Diodoro Siculo Lucius refert. An tunc Japydes nostri pars fuerint Illyriorum scio controverti: vt rosimile tamen mihi est, quod Illyris hoc tempore etiam Japides & Istros comprehenderit, cum Virgilius canens de Antenore

Euseb. in Chron. Juss. lib. 7.

Appian. in Illyr Scylax. Caryand Diod Sicul. Luc Dalm. l. 1. c. 1.

Trolano exule Illyricum finum vsque ad Timavi fontem extenderit. Atque adeò bellorum Illyricorum contra Macedones, Thraces, Dardanos aliosque vicinos populos fuisse participes nostros Japides, omninò mihi persuadeo. Alexander, quem dixi, vnum tantum regnavit annum, vitâ spoliatus à Ptolomæo Aloritæ illegitimo fratre, qui post triennium Perdiccæ alteri legitimo fratri & vitam, & regnum relinquere coactus est.

ANNUS MUNDI 3686.

ANTE CHRISTUM 367.

URBIS CONDITÆ AN. 385.

ÆMONÆ CONDITÆ AN. 856.

Perdiccas Amyntæ filius Ptolomæum illegitimum fratrem regni Macedonici invasorem vitâ & regno exuit, brevem etiam ejus vsuram habiturus. Nam quinto anni regno id est Mundi 3690. Urbis conditæ 389. cum Illyricum jugum conatur excutere, in acie occumbit, & cum eo pariter quatuor millia Macedonum. Tunc Philippus natus minimus fratrum è Thebana custodia dilapsus ad regnum pervenit. Pessimo in statu erant res Macedonicæ, Illyrii novum bellum parabant, Pœones finitimi Macedonicos agros impunè populabantur, & Pausanias quidam regis stirpis auxilio regis Thraciæ regno inhiabat. Philippus principio pupilli Perdiccæ filij tutorem egit, mox sceptrum arripuit, & repente desperatam restituere cæpit.

ANNUS MUNDI 3687.

ANTE CHRISTUM 366.

URBIS CONDITÆ AN. 386.

ÆMONÆ CONDITÆ AN. 857.

Pugnatum est à Romanis in agro Albano, contra Gallos, Dictatore M. Furio. Non dubia, ut scribit Livius, Romanis victoria fuit, quam ingentem Galli terrorem memoria pristinae cladis attulerint. Multa

millia in acie, multa captis castris cæsa; palati alij Apuliam maximè petentes, cum fuga se longinqua, tum quod passim eos pavor terrorque distulerant, ab hoste tutati sunt. Aliter Polybius securus adulationis, refert Gallos ingenti comparato exercitu Albam reversos, Romanos autem, quod adventus eorum repentinus fuit, & neque exercitum cogere neque à fociis auxilia convocare potuerunt, haud quaquam adversatos Gallis. Fuerit igitur hæc quædam subita excursio, & prælii ac longæ in aliena regione moræ declinatio, ad prædas potiùs agendas, quam populorum subjectionem suscepta. Hic jam planè nihil dubitem nostros Japydes permixtos Gallis interfuisse. Tardius sexennio hoc accidisse scribit Polybius, sed quoad annorum supputationem Sigonius mavult Livio, quam Polybio subscribere.

ANNUS MUNDI 3693.

ANTE CHRISTUM 360.

URBIS CONDITÆ AN. 392.

ÆMONÆ CONDITÆ AN. 863.

GAlli denò magno numero adversus Romanos tendunt, ad tertium lapidem Salariâ viâ trāspontem Anienis castra locant. Dictator cum tumultus Gallici causa justitium edixisset, omnes juniores Sacramento adegit, ingentique cum exercitu ab vrbe profectus, in citeriore ripa Anienis castra posuit. Pons in medio erat, in quem vacuum eximia corporis magnitudine Gallus processit, & quantum maximâ voce potuit: Quem nunc inquit, Roma fortissimum virum habet procedat agedum ad pugnam, ut noster duorum eventus ostendat vtrâ gens bello sit melior. Tum T. Manlius, L. filius qui rigidum patrem à vexatione tribunitia vindicaverat, ex statione ad Dictatorem perguit. Injussu tuo, inquit, Imperator extrâ ordinem nunquam pugnaverim, non si certam victoriam

Diod. sicul.
Euseb. in
Chron.

Just. l. 7.

Liv. l. 6.

Polyb. l. 2.

Liv. l. 7. Polyb. l. 2.

Eutrop. l. 2.
An. v. c. 388.
Adelzreit.
ad an. v. c.
403.

etoriam videam ; si tu permittis , volo ego illi belluæ ostendere , quando adeo ferox præfultat hostium signis , me ex ea familia ortum , quæ Gallorum agmen ex rupe Tarpeia dejecit. Annuit Dictator , juvenem æquales armant , pedestri Scuto , Hispano gladio. Aggreditur ille Gallum , & excepto ictu valido Scutum Scuto opponit , totoque corpore interior sese insinuat inter arma , vno subinde alteroque ictu Ventrem , & inguina fodiat , & in spatium ingens ruentem hostem porrigit. Sæpè nimia sui fiducia , & contemptus hostis , contemptum parit. Manlius contentus Galli torque ad suos rediit , novumque cognomen Torquati familiæ suæ exinde transcripsit. Galli nocte sequenti ad Tyburtinos digressi , ab iisque com meatu instructi in Campaniam secesserunt. Addit Livius Tyburtes egressos urbem , opem tulisse Gallis , & utrosque ad urbem se recipere compulsos ; irrisum deinde Tyburtibus Petilium , quod ea de causa triumphum egisset. Sed hoc anno sequenti debetur.

ANNUS MUNDI 3695.

ANTE CHRISTUM 358.

URBIS CONDITÆ AN. 394.

ÆMONÆ CONDITÆ AN. 865.

Philippus Macedo firmata cum Atheniensibus pace , cum Agimæ Pœonum Regem mortuum inaudisset commodam occasionem ratus Pœonas invadendi , à quibus per contemptum agrorum suorum populatione fuerat laceffitus , armatâ manu illos aggreditur , vincit acie , & sub jugum mittit. Restabant Illyrii , qui superioribus annis variis cladibus Macedoniam affecerant , etiam tributâ exigere ausi. Missi ergo feciales ad Bardylem Illyriorum Regem , qui Macedonicas vrbes dudum occupatas repeterent : pro responso tulerunt : paucam eâ ratione consistare posse , ut qui quæ quod tunc possideret , deinceps etiam servaret. Ergo

bellum denuntiatum , quod anno sequenti gestum est.

ANNUS MUNDI 3696.

ANTE CHRISTUM 357.

URBIS CONDITÆ AN. 395.

ÆMONÆ CONDITÆ AN. 866.

Bellum Philippi Macedonis cum Bardyle Illyriorum Regis. Philippus peditum decem millia , equitum sexcentos sub signis educit , Bardyles minorem numerum ; hunc partem dudum victoriæ ad retinendam gloriam , illum acceptæ clades ad ultionem accendebant. Diu anticipati prælio decertatum ; tandem inclinata ad Macedones fortuna Illyrios in fugam vertit , è quibus septem millia cæsa sunt. Pax deinde occuparum urbium Macedonicarum cessione sancita , cum ad Philippi ad aliam transtulit. Apud Ronanos eodem anno belli Gallici fama rursus insonuit. Galli priusquam nuntij perferrent eorum adventum , ad Præneste visi circa Padum confederunt. Dictator C. Sulpitius eos cunctatione frangere cogitans , ab exercitu pugnae avido coactus est conferere manus. Collata signa , priusquam signum daretur à Duobus. Tantis tunc fuit Gallorum impetus , ut ei dextrum Romanorum cornu par non esset , jamque nutaret , nisi Dictator increpitans Tullium primipilarem , qui pridie pugnam ferox postulaverat , & milites in castris audaces in acie pavidos , tam acres eorum virtuti stimulos addidisset , ut alienatis à memoria periculi animis , in hostium tela ruerent , & tandem victoriam reportarent. Quinam hi Galli fuerint incertum est , id constat maiorem tunc Italiæ partem ab iis occupatam fuisse , nec Romanam potentiam adhuc magnam , resistere potuisse eorum viribus , si consilio & concordia unanimiter regerentur.

ANNUS MUNDI 3698.

ANTE CHRISTUM 355.

G 3

V R.

Diod. Sicul.

Liv. lib. 7.

Polyb. cit.

URBIS CONDITÆ AN. 197.

ÆMONÆ CONDITÆ AN. 868.

Diod. Sic.

THraces, Poeones, Illyrij, cùm nuper à Philippo victi essent, & proprio malo & incrementis inimici affligebantur: vnde quod singuli se facere posse desperabant, vt Philippū regno & fortunis privarent, vniversi pariter aggrediuntur. Verùm Philippus in ipso belli apparatu subito adventu incautos oppressit, & in iura Macedonici regni adegit. Confectum est hoc bellum à Parmenione Philippi Duce, vt ex Plutarcho colligitur: qui ait: Philippum tres vno eodēq; die nuntios lætos accepisse, primo Illyrios à Parmenione ingenti prælio superatos: deinde in ludis Olympiis se equi pernicitate victorem declaratum; tertio natum sibi esse filium Alexandrum. Ad hunc proinde annum referes natalem Alexandri, nisi malis ad priorem, etiā bellum Illyricum.

Plutarch in
Alex. Gord.
c. 15. n. 4. Pe-
rer. in Dan.
l. 9. Schot. in
vit. Demost.

ANNUS MUNDI 3704.

ANTE CHRISTUM 249.

URBIS CONDITÆ AN. 403.

ÆMONÆ CONDITÆ AN. 874.

Liv. l. 7.

HOc anno Romæ M. Popilius Lenas à plebe Consul, à patribus L. Cornelius Scipio datus. Fortuna illustriorem plebeium Consullem fecit, qui collega morbo implicito contra Celtas processit, & dum ancipiti pugna diu certatum fuisset, & jam vulnerato Consule victoria Celtas respiceret, receptis animis & viso iterum post obligatum vulnus Consule in prima acie, Celtarum impetum fregerunt Romani, multis tamen suorum desideratis. Recessere tunc Celtæ, gens ipso Livio teste avida ad pugnam, & quæ procul visa Romanorum signa extemplo aggressæ est, reditura in annum sequentē.

ANNUS MUNDI 3705.

ANTE CHRISTUM 348.

URBIS CONDITÆ AN. 404.

ÆMONÆ CONDITÆ 875.

Triumphus à Popilio prioris anni Consule actus est magno favore plebis: dum inter se musarent, num quem plebeij Consulibus poeniteret? Interim Celtæ iterum ex Albanis montibus, quia hyemis vim pati nequiverant per campos maritimaque loca vagi populabantur. Albanos istos montes Lazius intelligit Alpes nostras seu Carfi juga. Cùm enim attulisset locum ex Suida de Celtis, inquit: *Ex quo loco liquet non solum Celtas Gallorum eorum posteritatem, quos diximus Alpes Italiae proximas insedisse, verum etiam Albanis mixtam accessisse; hoc est incultis, ac iis Gallis, qui montana colebant in confinio Istriæ, & Carniolicæ, ubi Albanum etiam videtur Ptolomæus describere, vulgò adhuc appellatur auff der Alben / bey Wippach und Lohitsch. &c. Meminit Albani cuiusdam montis propè Æmonam ac supra Aquilejam Julius Capitolinus in historia Balbini, & Papieni &c.* Ego tamen subdubitem de hac Lazii conjectura, cum Albicos populos supra Massiliam in montibus colentes legam apud Cæsarem, & Albanos Procopius juxta Ligures reponat. Quidquid de hoc sit: Celtæ fuerunt, & ejusdem cum nostræ Japydiæ inquilinis, originis, qui toties in Latinum agrum contra Romanos excurrerunt. **C** Mare nunc infestum erat Classibus Græcorum; oraque littoris Antiatis, Laurensque tractus, & Tyberis ostia: vt prædones maritimi cum terrestribus congressi, ancipiti prælio decertarint, dubijq; recesserint in Castra Galli; Græci retrò ad naves. Camillus Consul Gallicum sibi bellum extrà sortem sumit, & cum in agrum Pomptinum descendisset locum idoneum stativis delegit. Ubi cum stationibus quieti tempus tererent, Gallus processit magnitudine atque armis insignis: quatiensque Scutum hastâ provocat per interpretem vnum ex Romanis, qui secum ferro decertet. Prodiit M. Valerius Tribunus militum, cujus adversum Gallum tendentis gal-

Liv. lib. 7.

Euz. Migrat.
lib. 5.Jul. Cæs. de
Bel. civil. l. 1.Eutrop. l. 2.
Aul. Gel.
noct. Att.
Liv. cit.

leæ

Adelzreit.
ad an.vrb.
Cond. 407.

leæ corvus infedit, & involans Galligaleam, os oculosq; illius rostro, & vnguibus appetiit, donec territum prodigij visu, simul ac mente turbatum Gallum Valerius obtuncaret, vt narrat Livius, quod cum ille Deorum suorum auxilio tribuat, nos Dæmonum opi, quos colebant Romani facilè adscribimus, cum fidem excedat humanam corvum infidere militis capiti quaquaversum arma vibrantis, nec avolare, donec alteri debiliori victoria cedat. Valerio exinde Corvini accessit cognomen in posteros transmissum. Postquam cæsi Galli corpus spoliare Tribunus cæpit, occurrere de statione sua Galli, nec Romani se continuerunt, acriter vtrimque certatum, multis cadentibus, tandem Galli receptui cecinerunt per Volscos Falernumque agrum in Apuliam transgressi, ex qua illis facilis per mare reditus in Japydiam, si illic Albani montes, à quibus discesserant.

ANNUS MUNDI 3710.

ANTE CHRISTUM 343.

URBIS CONDITÆ AN. 409.

ÆMONÆ CONDITÆ AN. 880.

Philippus regno suo vndique stabilito magnisque incrementis ex aliorum ruinis amplificato, antiquum in Illyrios odium, quasi hæreditarium à patre acceptum, resumens validum exercitum comparat, in Illyridem movet, & agros populatus, multis vrbibus expugnatis prædâ onustus Macedoniam repetit. Ad hoc tempus referendum videtur, quod de Alexandro Plutarchus: ipsum puerum (decimum tertium ætatis agebat annum) cum allatum esset aut nobilem à parente captam vrbem, aut insigni victoriâ eum potitum, non aded gavisum; verentem ne nullum sibi gloriosum facinus Pater peragendum relinqueret, exhaustâ omni rerum benè gerendarum materiâ.

ANNUS MUNDI 3714.

Diod. Sicul.

Plutarch. in
Alex.

A. ANTE CHRISTUM 339.
URBIS CONDITÆ AN. 413.
ÆMONÆ CONDITÆ AN. 884.

Philippus Macedo filium Alexandrum decem & octo annos natum ad Tyrocinia militiæ adhibet: in Scythiam prædandi causa proficiscitur more negotiantium, impensas belli alio bello refecturus. Erat eo tempore Rex Scytharum Atheas, qui cum bello Istriorum premeretur, auxilium à Philippo per Apollinenses petit, in successionem eum regni Scythiæ adoptaturus. Cùm interim Istriorum Rex decedens, & metu belli, & auxiliorum necessitate Scythas solvit. Itaque Atheas remissis Macedonibus renuntiari Philippo jubet, neque auxilium ejus se petisse, neque adoptionem mandasse. Nam neque vindictâ Macedonum egere Scythas, quibus meliores forent: neque hæredem sibi incolumi filio deesse. His auditis Philippus Legatos ad Atheam mittit, impensæ obsidionis portionem petentes, ne inopia deserere bellum cogatur. Quod eo promptius eum facere debere, quòd missis à se in auxilium ejus militibus, ne sumptum quidem viæ, non modo officij pretia dederit. Atheas inclementiam cœli, & terræ sterilitatem causatus, quæ non patrimoniis ditet Scythas, sed vix alimenta exhibeat, respondit nullas sibi opes esse, quibus tantum Regem expleat, & turpius putare parvo defungi, quam totum abnuere: Scythas autem virtute animi, & durtiâ corporis non opibus censerit. Quibus derisus Philippus solutâ obsidione Byzantii, Scythica bella aggreditur, præmissis legatis, quo securiores faceret, qui nuntient Athæ; dum Byzantium obsidet, vovisse se statuam Herculi, ad quam in ostio Istri ponendam se venire, pacatum accessum ad Religionem Dei petens, amicus ipse Scythis venturus. Ille, si voto fungi velit, statuam sibi mitti jubet;

Just. l. 9.

Eratosth. in
Crat.

bet; non modo vt ponatur, verùm etiam vt inviolata maneat pollicetur: Exercitum autem fines ingredi negat se passurum. Ac si in vitis Scythis statuat ponat, eo digresso sublaturum, versurumq; æs statuæ in aculeos sagittarum. His vtrique irritatis animis prælium committitur. Cùm virtute, & numero præstarent Scythæ astu Philippi vincuntur. Viginti millia puerorum ac fæminarum capta, pecoris magna vis, auri argentique nihil. Ea primum fides inopiæ Scythicæ fuit. Viginti millia nobilium equarum ad genus faciendum in Macedoniam missa. Sed revertenti ab Scythia Triballi occurrunt Philippo: negant se transitum daturus, ni portionem accipiant prædæ. Hinc iurgium, & mox prælium, in quo ita in femore vulneratus est Philippus, vt per corpus eius equus interficeretur. Cùm occisum putarent, præda amissa est. Ità Scythica velut devota spolia, penè luctuosâ Macedonibus fuere. Istrianos quorum hic suprâ facta mentio non putem fuisse nostrates Istros seu Istrianos, verum Istri sive Danubij accolæ, vicinos Scythis: vicinum tamen nostris vel ob Macedonum expeditionem bellum arsit. Triballos verò, qui Philippo prædam eripuerunt, existima eos, qui postea dicti Servij, vel vt alij malunt Bulgari, vtrosque vicinos Japidix, contra quos deinceps bellum movebit Philippi filius Alexander.

ANNUS MUNDI 3716.

ANTE CHRISTUM 337.

URBIS CONDITÆ AN. 415.

ÆMONÆ CONDITÆ AN. 886.

In signis est hic annus pugnâ ad Chæroneam Bæotix, in qua infelicitè ab Atheniensibus & Thebanis contra Philippum pugnatum est. Philippus triginta millia peditum, equitum duo millia, plura eduxerunt Athenienses, qui tamen assiduis bellis induratâ virtute Macedonum vincuntur. Sub

A ortum lucis acies vtrique expediri cæpit; Rex filium Alexandrum adolescentem, qui manifesta jam ediderat virtutis argumenta, vnum cornu regere jubet; ipse alterum regit: Alexander prior oppositam aciem perumpit: Philippus ne filio victoriæ gloriâ concederet, objectum sibi agmen statione movit, ac demum in fugam egit. Ceciderunt mille & plures, capti bis mille. Pax deinde cum Atheniensibus vltro inita Alexandro ipso Legato. Sub anni finem Philippus pulsâ Olympiade Alexandri matre, Cleopatram duxit Attali neptem, & cum in convivio nuptiali Attalus hortaretur Macedonas, vt exposcerent à Diis justum ex Philippo & Cleopatra regni successorem, excandescens Alexander Scyphum coniecit in Attalum inquiens: *Quid nos tibi scelus? num adulterini videmur?* statimque in eum Philippus stricto ense irruit, sed bonâ vtriusque fortunâ, impacto per iram & vinum pede, prolapsus est: quod Alexandro occasionem dedit insultandi, cùm diceret: *Hic verò Macedonas in Asiam parabat ex Europa transmittere, qui ex lecto in lectum transgrediens procedit.* Subduxit deinde se Alexander, & ad Illyrios contulit, abductâ matre Olympiade, quam in Epiro collocavit, revocandus anno sequenti à Philippo.

ANNUS MUNDI 3718.

ANTE CHRISTUM 335.

URBIS CONDITÆ AN. 417.

ÆMONÆ CONDITÆ AN. 888.

Cum jam Philippus superiore anno recepto in gratiam filio Alexandro, & sub jugum missâ Græciâ vniuersâ, constitutus fuisset à Græcis summus Imperator in Persas, magnamque vim copiarum haberet ex vniuersa Græcia, Macedonia, vicinisq; regionibus, vtique & Illyriis, Liburnis & Japydibus præparatam, initio veris tres Duces in Asiam cum parte copiarum præmisit. Interea ipse Deos se propitios

Ortel. in Syn.
Geogr.

Diod. Sicul

Plut. in
Alexand.

Just. lib 9.
Diod. Sicul.
l. 17. Pausan.
in Arcad.
Plut. in A-
lexand.

pitios habere credens, magnifico eis sacrificio instituto, simul Cleopatram filiam, quam ex Olympiade susceperat nuptias celebrabat, eamque Alexandro Epirotarum Regi, qui frater erat Olympiadis, uxorem dabat. Maximus erat gentium concursus, ludorum apparatus, munerum magnificentia, musicorum & vatum frequentia. Illud inter cætera maximū superbiam monimentum. Duodecim Deorum signa populo in theatro spectante circumferebantur cultu mirifico, tum decimum tertium accessit ipsius Philippi simulacrum divino per omnia simile, sed non tulit superbiam vindex Deus hunc factum: inter lætas acclamationes accessit Pausanias juvenis Attali stupratoris sui frustra sæpius apud Regem accusator, qui vibrato gladio, & certo ictu Regem confecit, fugiturus per paratos equos, nisi viti calcamento implexæ detentus procidisset surgentem oppressere Satellites, & trucidarunt. Perempto Philippo parvulum ejus filium, quem è Cleopatra susceperat, una cum matre in æneo vase, ignibus circumjectis cruciatos Olympias Alexandri mater necavit. Alexander verò habenas tractare cæpit Macedonici Imperij.

ANNUS MUNDI 3719.

ANTE CHRISTUM 334.

URBIS CONDITÆ AN. 418.

ÆMONÆ CONDITÆ 889.

Alexander Macedo ineunte vere statuit per Thraciam, & Triballos in Illyridem movere, quo nomine haud dubiè venit Moesia superior nunc Servia, & Boffna, ac Dalmatia contermina Liburniæ nostræq; Japidix, Arrianus tamen solos Triballos, & Getas Istri accolos petitos scribit, ac domitos ne expeditioni in Asiam obstaculo essent; Clitum Bardylis Illyriorum filium, & alterum

A. Illyriorum Taulantiarum Regem Glauciam ne nova molirentur sub jugum missos. Eo in procinctu cum Alexander Getas coerceret, quorum circiter quatuor millia equitum, peditumque supra decem millia ripam ulteriorem Danubii insederant, & obstupefacti quod Alexander id flumen omnium Europæ amplissimum unâ nocte transfisset nullo ponte injecto, ne primum quidem impetum sustinuerant, venerunt ad eum Legati à Symo Triballorum Rege, & à Germanis Jonicum sinum adcolentibus, ut cum eo amicitiam fœdus inirent. Quibus **B.** in fidem, & amicitiam acceptis è Germanis quæsitum: quidnam in humanis rebus præ cæteris extimescerent, ratus nominis sui magnitudinem ante omnia ipsis formidolosam videri. Illi hoc se in primis timere responderunt, ne fortè in sese aliquando cælum rueret. Alexander nihil motus responsi superbiâ, tantum adjecit: Germanos superbos esse. Ità rem enarrat Curtius. Meminit hujus Legationis etiam Strabo, allegans Ptolomæum: *Tradit Ptolomæus Lagi F. eadem expeditione Celtas, qui Adriaticum mare adcolunt amicitiam atque hospitii jungendi causa Alexandrum adiisse: quos Rex comiter exceptos, cum inter pocula rogasset, quidnam esset, quod maximè metuerent: existimans dicturos, ipsum; respondisse, nihil nisi nequando cælum in sese rueret.* Hæc Strabo ad quæ notat Cluverius: *Gallos hic Strabo innuit non Germanos. Nam Galli, qui postea in Asiam transgressi tunc temporis inter Istrum & Adriaticum mare partes Illyrici, partesq; Thraciæ occupaverant &c.* Miror Cluverium, qui Celtas sive Gallos à Germanis in illa vetustate distinguit, & non observat, quos Celtas aut quales alii authores fuisse assererint, qui tale responsum dederunt Alexandro. **Q.** Curtius accuratissimus rerum ab Alexandro gestarum scriptor disertè Germanos dixit, & pari ratione Arrianus,

Luc. de Dal.
l. i. c. i.
Arrian. in
vit. Alex.

Q. Curt. l. 2.

Strabo. l. 7.

Cluv. Germ.
Antiq. l. i.
c. 10.

Arrian. in
vita Alex.
Ap. Laz.

rianus, iisdem ferè verbis cum Q. Curtio : *Huc loci Legati, & à cæteris Danubii accolis, & à Syrho Triballorum Rege, item à Germanis, qui Jonium sinum accolunt. Sunt quidem Germani ut grandi corpore, ita animo elato magnoque. Hæ legationes ad Alexandrum venerunt, ut amicitiam cum eo jungerent. Quibus in fidem, & amicitiam receptis è Germanis quaesivit : Quidnam esset in humanis rebus, quod præ cæteris extimescerent. ratus nominis sui magnitudinem ad illos, multoque etiam interius penetrasse; idque esse, quod præ cæteris sibi formidolosum faterentur. Illi verò quod procul ab Alexandro agebant, quod loca accessu difficilia incolebant, ipsumque ad alia bella intentum videbant; timere se illud ante omnia dixerunt: ne fortè in sese aliquando cælum rueret. Nihil movit Alexandrum superbum Legatorum responsum: id tamen elocutus: Germanos arrogantes esse. Clarissimè hic designatur, & natio Germanorum, quos tunc Celtas Græci, Latini Gallos nominabant, & ipse situs ad mare Jonicum sive Adriaticum, loca accessu difficilia, quæ sanè prorsus conveniunt nostræ Japidiae: Lazius istorum Germanorum reliquias esse putat Gottscheenes, qui partem Japidiae antiquæ obtinent, sed de hoc alibi. Certè verosimile est, jam tunc omnem Japidiam habitatam fuisse à Germanis Celtis, cum in eam migraverint jam ante ducentos & septuaginta circiter annos, ut dictum est ad annum Mundi 1449. adeò ut paucæ familiæ remanserint veterum Japydum. Inde procera ac robusta corpora in hanc diem Liburnorum, Istriarum, Carssensium & vicinorum veteris Japidiae inquilinorum, quorum maiores meritò dicere potuerunt coram Alexandro, se nihil timere, nisi cæli ruinam, quia undique montibus, & Sylvis ceu moenibus cincti plerique solius cæli prospectum habent. Non igitur neget Cluverius*

Laz. Mig.
gent. l. 8. fol.
451.

A. Germanos fuisse illos, qui Alexandro illuserunt; non credat diversos ea ætate fuisse Celtas, & Gallos: Germanos, & Celtas: vna natio, vnus populus fortitus diversas sedes, diversa nomina: quando Galli restrictiore acceptione vocis, quos hodie Gallos vocamus à Germanis secerni cœperunt, longè ferius tempus investigandum est. Sit ergò hoc responsum Germanorum, & hi fuerunt inquilini Japidiae nostræ, majores nostri, sit responsum arrogans, sed est virorum fortium, & magnanimorum, qui hostem aliis formidabilem sibi formidandum non censuerunt.

B. Nuperus Boiorum Historicus hanc Germanorum Legationem suis Boiis attribuit, sed nisi per Boios vniuersali nomenclatura Celtarum comprehensos intelligat accolos maris Adriatici, quod jure facere non potest; aut cognatæ gentis gloriam participare velit, sanè fallitur. Jam tunc enim Boij suo nomine à reliquis Celtis fecerentur; & licet in Italia & Hetruria sedes fixerint, non tamen ad littus maris Adriatici, vbi solùm confederant Celtæ, & Senones, priusquam Boij in Italia pedem figerent, ut ex Livio supra ostensum, & clarissimè docet Polybius, qui cum narrasset Senones à littore maris Adriatici per Romanos depulso, addit Bojos sollicitos ne idem sibi accideret, aduersus Romanos adjunctis sibi Tyrrenis, bellum suscepisse, quod infra referemus suo loco. Transiliemus porrò cætera Alexandri gesta, utpote nihil ad nostram antiquam Carnioliam, & ne quidem Slavoniam pertinentia. Quod enim nuperus scriptor persuadere vult Scythas illos, qui apud Q. Curtium graui oratione reprehenderunt factum Alexandri, fuisse Slavos, primum ei aduersatos, mox amicos, & in expeditionibus socios, merum est figmentum, & ipsum quoque Privilegium quasi

Adelzreit P.
1. Annal. l.
1. n. 31.

Rattkay. in
Mem: Bano.
Cro. l. 1. p. 10.

ab Alexandro Slavis datum, vanissimi alicujus fabulatoris ingenium prodit. sic quippè incipit : *Nos Alexander Philippi Regis Macedonum filius, Archos Monarchiæ figuratus, Græcorum imperij inchoator, &c. Nobili genti Slavorum, & eorum linguæ gratiam, pacem & salutem à nobis à nostris posteris &c. arridentibus magnis Diis, Jove, Marte, Plutone, & Minerva &c. Testes donationis hujus sunt Nobilis Athleta Ithesaurarius noster, & undecim Principes, quos (decedentibus Nobis absque liberis) successores nostros constituimus.* Apagesis cum tam putidis, & ridiculis figmentis, quæ ne legi quidem mereantur. Multis seculis post Alexandrum mi bone vir nactetur Slavorum nomen, vt cætera fictionis indicia taceam. Tui Glavinich, quem allègas, nihilo maior est autoritas, quàm Latinitas. Similis farinæ Privilegium à Nerone datum Austriacis, circumferretur, & placet multis, sed ignorantibus. Procul ejusmodi nugæ à seriascriptione.

ANNUS MUNDI 3722.
ANTE CHRISTUM 331.
URBIS CONDITÆ AN. 421.
ÆMONÆ CONDITÆ AN. 892.

Romæ tranquillis rebus fama Gallici belli pro tumultu valuit vt Dictatorem dici placeret. Dictus M. Papyrius Crassus, & Magister Equitum Publius Valerius Publicola; à quibus dum delectus intentius, quàm adversus finitima bella haberetur, exploratores missi retulerunt quæta omnia apud Gallos esse. Si nostris hisce Gallis sive Celtis ac Germanis cordi fuisset concordia, & consilium ante facta, obscuraturi erant Romani nominis gloriam efflorescentem. Sed tam erant divisi sensibus, quàm habitationibus separati, & impetu potius, quàm ratione inibant certamina. Quasi adnatum Germanis fo-

Liv. lib. 8.
Adelzeit. ad
an. v. c. 434.

ret hoc malum, ità nec hodie melius sapimus.

ANNUS MUNDI 3725.
ANTE CHRISTUM 328.
URBIS CONDITÆ AN. 424.
ÆMONÆ CONDITÆ AN. 895.

Nondum perfunctos cura Privernatis belli Romanos tumultus Gallici fama concussit, haud fermè vnquam neglecta Patribus. Extemplo igitur Consules novi L. Æmilius Mamercus, & Cn. Plautius e ipso die Calend. Quintilibus, quo Magistratus inierunt comparare inter se Provincias jussi: & Mamercus, cui Gallicum bellum evenerat, scribere exercitum sine vlla vacationis venia: quin opificum quoque vulgus, & Sæcularij minimè militiæ idoneum genus, exciti dicuntur: Veiosque ingens exercitus contractus, vt inde obviam Gallis iretur. Longius discendi ne alio itinere hostis falleret ad urbem incedens, non placuit. Tantum nomen Celtarum valuit apud vincere assuetos Romanos, vt sola famâ consternatos ad exercitum cogendum induceret. Et fuit fama prorsus vana: quæta siquidem apud Gallos omnia comperta sunt. Polybius author est Gallos pacem, & foedus cum Romanis iniisse, ac per annos deinceps triginta constanter servasse. Nostros Japydes, & cum Japydibus Celtas hoc annorum decursu pacem etiam cum vicinis habuisse, proclive est credere.

Liv. lib. 8.

ANNUS MUNDI 3752.
ANTE CHRISTUM 301.
URBIS CONDITÆ AN. 451.
ÆMONÆ CONDITÆ AN. 922.

Cleonimus Dux Lacædæmonum cum classe ad Italiæ littora appellit, ab Æmylio Consule vno præ-

Liv. lib. 10.

prælio fractus repellitur ad naves. Circumvectus deinde Brundusij promontorium medioque sinu Hadriatico, cum læva importuosa Italiæ littora, dextrâ Illyrici Liburnique & Istri gentes feroces & magna ex parte maritimis excursionibus affuetæ terrerent, penitus ad littora Venetorum pervenit; vbi expositis paucis, qui loca explorarent Medoaco amne (nunc Brenta dicitur) invectam classem subire flumine adverso iussit. Gravissimas navium non pertulit alveus fluminis, in leviora navigia transgressa multitudo armatorum ad vicus Patavio vicinos pervenit, quos licentius deprædando excussit. Hæc cum Patavium nuntiata, vbi tum Celtæ nostri semper in armis erant, duas in partes divisa est juvenus, altera prædonibus obviam processit, altera diverso itinere ad navium stationem properavit. Utrique res prosperè gesta, naves minores interemptis custodibus occupatæ, palantesque armati per agros cæsi ac fugati. Cleonymus vix quinta parte navium incolumi discessit inglorius. Rostra navium spoliaque Laconum in æde Junonis veteri fixa, multi tempore Livij supererant, qui viderant. Patavij monimentum navalis pugnae, eo die, quo pugnatum est quotannis solenni certamine navium in flumine oppidi medio exercebatur.

ANNUS MUNDI 3755.

ANTE CHRISTUM 298.

URBIS CONDITÆ AN. 454.

ÆMONÆ CONDITÆ AN. 925.

CUM Galli, seu Celtæ nostri Cisalpini ad Padum, & littora maris Adriatici colentes per annos triginta quievissent, à Transalpinis infestari cæperunt, dum contrâ Romanos ipsi bellum appararent. Tum ne vtrique premerentur veriti, per generis affinitatem precari, ne sibi inimici essent: munera præterea opima offerre ut bellum in populum Romanum converte-

Polyb. l. 2.

rent hortari, se omnibus viribus eis affuturos ostendere. Id vbi persuasum illis intelligunt, omnes vnanimi consensu adversus Romanos per Tyrreniam profecti, quippè magnus Tyrrenorum numerus apud eos morabatur, factâ ingenti prædâ domum incolumes revertuntur. Hic orta inter eos pro divisione prædæ seditio vsque eo processit, ut non solùm prædæ, verùm etiam Imperij magnam partem perdidissent: quod frequenter accidere Gallis consuevit ob immoderatas eorum crapulas & ebrietates. Tyrreniâ hic Hetruriam vel Thusciam intellige, à qua & mare Hetruscum à Græcis Tyrrenum dicitur. Transalpini verò Galli fuerint, qui Noricum incolebant, & latè montes ac Alpes obsederant, vsque in Pannoniam & Iapydiam. In eundem hunc annum incidit altera Celtarum nostrorum expeditio, quam Livius recenset, priore omisâ, ut rectè advertit Adelzreiter, & Salianus sub dubio reliquit. Hetrusci adversus Romanos contemptis induciis parabant bellum, quos Gallorum ingens exercitus ingressus eorum fines à proposito avertit. Pecunia deinde, quâ multum valebant Hetrusci, socios sibi ex hostibus parare Gallos conantur, ut eo adjuncto exercitu Romanos facilius aggredierentur. De societate non abnuebant nostri, de mercede agebatur: qua pactâ & acceptâ cum parata cætera ad bellum essent, sequique Hetruscus juberet, inficias eunt Galli, mercedem se belli Romanis inferendi pactos, quidquid acceperint, accepisse ne agrum Hetruscum vastarent, armisque lacefferent cultores; militaturos tamen se, si utique Hetrusci vellent, sed nullâ aliâ mercede, quam ut in partem agri accipiantur, tandemque aliquâ certâ seditio consistant. Multa de eo concilia populorum Hetruriæ habita, nec perfici quidquam potuit; non tam quia immuni agrum, quam quia accolæ bellicosæ ac foecundæ gentis sibi quisque ad-

Liv. l. 10.
Adelzreit,
cit. Salian, ad
hunc. an.

gere

gere metuebat. Ità dimissi Galli pecuniam ingentem sine labore ac periculo partam retulere. Romæ maiorem terrorem præbuit nova fama Gallici tumultus, quàm Hetrusci; eo minùs cunctàter fœdus ictum cum Picentibus est.

ANNUS MUNDI 3758.

ANTE CHRISTUM 295.

URBIS CONDITÆ AN. 457.

ÆMONÆ CONDITÆ 928.

Liv. l. 10.

IN Hetruria ingens bellum multis ex gentibus conflatur auctore Gellio Egnatio Samnite. Thufci ferè omnes armati, traxerat contagio proximos Umbriæ populos, & Gallica auxilia mercede sollicitabantur: omnis ea multitudo ad castra Samnitium conveniebat. Gallis nondum exercitui junctis pugnatum, cæsi Samnites, captus Egnatius. Romæ nihilominùs rumore vera falsis miscente Gallici nominis famâ trepidatum.

ANNUS MUNDI 3759.

ANTE CHRISTUM 294.

URBIS CONDITÆ AN. 458.

ÆMONÆ CONDITÆ AN. 929.

Liv cit. Eutrop lib 2. num. 10.

L. Volumnius Consul Romam Comitiorum causa revocatus erat cum crebræ ab Appio, qui in Provincia cum exercitu restiterat literæ deferuntur ad senatum; Hetruriæ bellum ingravescere, quatuor gentes arma conferre, Hetruscos, Samnites, Umbros, Gallos: castra jam bifariam facta esse, quod tantam multitudinem locus vnus capere non posset. Ergò convocatum ad comitia populum hortatur ad legendos Consules & vbi Q. Fabius consensu populi vinci se animadvertit, exoravit consuetum sibi collegam Decium restitui, Volumnio in hunc annum prorogatum imperium est. Antequam Consules in Hetruriam venirent Senones Galli ingenti multitudine ad Clusium venerunt, vbi L. Scipionem Pro-

A. prætorem vndique circumventum oppressere, vt ne nuncius quidem cladis superesset. Nec ante hujus belli fama ad Consules perlata est, quàm Gallorum equites in conspectu essent ovantes de victoria. Id primum Consules movit, vt alios duos exercitus Hetruriæ oppositos, quibus Cn. Fulvius, & L. Posthumius præerant, evocarent ad fines Hetruriæ populandos, & distractæ vires facilius opprimerentur. Nec aliud consilium hostibus placuit, quam ne simul in aciem descenderent, sed Samnitibus Galli juncti pugnam inirent, inter ipsum autem certamen Hetrusci Umbrique Romana castra oppugnarent, curatamen fuit Fabio, vt eos per Fulvium & Posthumium distraheret. Post velitationes aliquot tertia die cum omnibus copiis in campum descensum est. Dextro cornu Galli, sinistro Samnites constiterunt. Primo concursu, adeò æquis viribus gesta res, vt si affuissent Hetrusci & Umbri, aut in acie, aut in castris quocunque se inclinassent, accipienda clades fuerit Romanis. Hi apud Fabium arcebant magis quam inferebant pugnam, extrahebaturque in quam maximè ferum diem certamen, quia ità persuasum erat Duci, & Samnites & Gallos, primo impetu feroces esse, quos sustineri satis sit: longiore certamine sensim residere Samnitium animos: Gallorum quidem etiam corpora intolerantissima laboris atque æstus fluere, primaque eorum prælia plusquam virorum, postrema minus quam fæminarum esse. Sic quidem Fabius, at ferocior Decius ætate & vigore animi, quantumcumque virium habuit certamine primo effudit. Et quia lentior videbatur pedestris pugna, equitatum in pugnam concitat, & ipse fortissimæ juvenum turmæ immistus impetum facit. Bis avertère Gallicum equitatum: iterum longius evedtos, & jam intermedia equitum agmina prælium cientes novum pugnæ conterruit genus: esse.

Adelzreit P. I. l. I. n. 37.

essedis carrisque superstant Gallus ingenti sonitu equorum rotarumque advenit, & insolitus ejus tumultus Romanorum equos conterruit. Ità penè victorem equitatum lymphatus pavor dissipat: sternit inde ruentes equos virosque improvida fuga: simul infecuta Gallica acies nullum spatium respirandi recipiendiq; se dedit. Decius se Diis manibus devovens in confertissimam Gallorum turmam impetum fecit, vbi telis infestis peremptus est. Fabius exinde, qui cunctando extraxerat diem acrius dimicare cæpit; cessere Samnites relictis in acie Sociis: Galli testudine facta conferti, stabant invicti donec à tergo circumvenirentur. Cæsa: eo die Samnitium & Gallorum viginti quinque millia, octo capta. Nec incruenta Romanis victoria fuit. Ex Decij exercitu, septem millia, ex Fabii mille ducenti occubuerunt. Fabius relicto in Hetruria Deciano exercitu redux in urbē de Gallis, Hetruscis, ac Samnitibus triumphavit. Gallos hosce Senones negat Salianus fuisse Gallos, qui hodie Franci dicuntur, & hoc rectè, sed quod dicat fuisse Italos, quos Strabo circa Flaminiam, Polybius in Piceno locat, non satis conforme est Polybii historiæ, qui disertè Senones Gallos ad littus maris Adriatici vel potiùs Flanatici finis sitos docet, & Senam ab illis conditam, quæ etiamnum superest. Fuerint tamen etiam illi Senones, quos suprâ diximus ab Vfonte fluvio ad Athesim dilatatos. Galli proinde illi Senones, qui tanto metu percelluerunt Romanos, & nisi à lociis defererentur, eorum potentiam infringere potuerunt, tam Italiæ quàm nostræ Japydiæ ac vicinæ Liburniæ inquilini fuere. Cæterùm nec illud silentio prætereundum est, laborare fidem Livij in hac narratione. Nam Polybius ejusdem ævi scriptor ediverso Gallos victores semel & iterum pronuntiat, non victos. Certè Gallorum nomen, & fortitudo vsque ad eò Romanis terrorem semper

A. hâc ætate incussit, vt Romani Gallos laceffere veriti satis habuerint, se contra validissimos hostes novis legibus munire, novis Magistratibus (Dictatorem semper nominabant cum Gallica irruptio metuebatur) parere, novos exercitus (etiam proletariorum & Sellulariorum) conscribere: quod adversum alios hostes nondum fuerat vsitatum. Ex horum Gallorum gloria, vti omnem non possumus, ità securè maiorem partem nostræ Japydiæ & Pannoniæ quæ incolebant, audemus decerpere. Eutropius hæc ad annum urbis conditæ 450. retulit, sed in annis digerendis minus attentum fuisse multa produnt. Volumnij Consulatum plerique cum anno V. C. 457. aut sequenti jungunt, quod & nos fecimus: verùm, quæ sequuntur non cohærent, quod Galli decennio quieverint, vt vult Polybius, sed hos annos pauciores fuisse Consulatum series evincit.

ANNUS MUNDI 3770.

ANTE CHRISTUM 283.

URBIS CONDITÆ AN. 469.

ÆMONÆ CONDITÆ AN. 940.

Nondum decem elapsi erant anni à clade Samnitum, cum iterùm Romanis adversum Gallos exarsit bellum. Galli Cisalpini comparato ingenti exercitu in Hetruriam profecti Aretium obsident. Belli causa, quod Aretini quadraginta annorum inducias mutuamque auxiliiorum fidem cum Romanis pacti essent. Ea res offendit Gallos, & parùm juvit Aretinos. Adfuere quidem Romanorum suppetiæ, sed cùm ante urbem collatis signis dimicatur, inferiores discedunt Romani. In prælio occisus belli Dux idemque Consul L. Cæcilius Dentor, cui successus est M. Curius Dentatus. Hic statim Legatos in Galliam ad redimendos captivos mittit: sed Legati cū eo venissent, violato jure gentium à Gallis occidunt. Quæ res digna visa Romanis

Polyb. l. 2.
Parulus. O.
ros. l. 3. c. 22.

Oros. l. 3. c.
20. Geneb.
ad an. urb.
Cond. 463.
Sig. de Jure
Ital. l. 1. c. 16.
Eutrop. l. 2.
n. 13. ad an.
V. C. 463. A
delzreit ad
an. v. c. 465

manis

manis, in quàm anno sequenti serio animadverterent. Ad Aretium in pugna relatâ occubuere septem Tribuni Romani, multi nobiles, & tredecim millia militum.

ANNUS MUNDI 3771.

ANTE CHRISTUM 282.

URBIS CONDITÆ AN. 470.

ÆMONÆ CONDITÆ AN. 941.

HOc tempore manifestò apparuit, quàm superis & hominibus invisum sit fidem perfidiâ, naturæ jura crudelitate temerare. Galli nostri Senones ob cæsam Legationē Romanam fortunâ suâ pristinâ nunc exciderunt, quod idem eadē ex causâ Romanis accidisse quando vrbs capta est, supra meminimus. Scriptus à Romanis exercitus cùm in Picenum & vltra tenderet obvios Gallos habuit. Soli Senones fuisse perhibentur. Hos collatis signis Romani evestigio aggressi superant; magnam partem interficiunt, & qui super fuerant eos sedibus fugant; regionē totâ potiuntur: novam veteri nomine, quod primo à Gallis habita fuerat, Senam appellant, quam ne suspiceris esse Senam Tusciæ mediterraneam urbem, explicat disertè Polybius, quænam illa Sena, quive Senones fuerint, qui tot annis Romanæ potentix formidinem incussere, eamque multoties in medio fregere cursu. Ait enim: *Senam appellant: est autem ea vrbs, quemadmodum supra memoravimus, in littore Adriatici maris sita, ubi campi Italiæ terminantur.* Sena igitur nova colonia illa est, quæ nunc Senagallia dicitur, à Senonibus nostris Japydibus aut Liburnis condita. Septennio hanc colonix deductionem & Senonum è sua regione depulsionem anticipat Paulus Diaconus, Orosium secutus, sed cùm nominet consules Dolabellam & Domitium, qui ad annum vrbs Conditæ 470 spectant, manifestus illius ibi est error. Expulsi à littore

maris Senones ad focios haud dubiè Celtas, qui partim Alpes & montana Japidix, partim planâ Pannonix superioristenebant, se contulerunt. Et hoc tempore putem nata si non pridem antea, in Japidia nomina Senosetzæ geminæ, non procul Tergesto, quæ rectè Lazius putat desumpta à Germanica voce *Sennonersis* id est Senonum sedes. Nondum his vicini fuerunt Boij ad lacum Pelsonem, quem ego libenter agnoscerè lacum nostrum Vels seu Veldes, corruptè dictum Velsonem ob rationes alibi insinuat, nisi viderem authorum torrentè inclinare in lacu Neufidel in finibus Austriæ. Huic lacui proxima fuerunt loca, postea dicta Deserta Boiorum, sed longè post hoc nomen adepta, quia Boij hoc tempore adhuc remanserunt pars in Italia, pars in Hercynio saltu, & illi, qui remanserunt in Italia, ut porrò narrat Polybius cùm vidissent Senones patriâ suâ excidisse, metu similis fortunæ, omnibus suis, qui arma ferre poterant, excitis Hetruscis etiam in societatem pertractis profecti sunt adversus Romanos: nec multis interjectis diebus prælium iniere ad lacum Vademonis, vbi cæsi Hetrusci, fugati Boij, non tamen omninò animis dejecti, quin novam iterum meditarentur expeditionem. Meminit hujus Romanæ victoriæ de Boijs, & Senonibus Dionys. Halicarnasseus, cùm de P. Cornelio inquit: *qui quarto anno ante consul, totam Celtarum gentem Senonas dictos, acerrimos Romanorum hostes, bello devictos omnes quot quot juvenili ætate essent, contrucidaverat.* Ex quo ipso patet quidquid in Romana historia de Celtis seu Gallis Senonibus hactenùs relatum est, ad nostros potissimum Senones, Japidix & Liburnix inquilinos, non ad alios illos Francos vltra Rhenum colentes, pertinere; tamen ab his illi adhuc Germanæ originis, suam traxerint originem.

ANNUS MUNDI 3772.

ANTE CHRISTUM 281.

Diod. Halic. Excerpt. Legat.

URBIS CONDITÆ AN. 471.

ÆMONÆ CONDITÆ AN. 943.

BOij, Hetruscique iterum conspuratione factâ bellum in Romanos exorsi sunt collectâ (vt ait Polybius) omni iuventute; sed iterum infelici eventu. Nam adeò fusi profligatique sunt, vt penè ad internecionem delerentur. Quamobrem mitigatis parumper animis fœdus cum Romanis per Legatos percutiunt. Erat hæc clades tertio anno ante trajectionem Pyrrhi in Italiam, & quinto ante eam eadem, quam Galli apud Delphos sunt passi, vt paulò post afferemus.

ANNUS MUNDI 3775.

ANTE CHRISTUM 278.

URBIS CONDITÆ AN. 474.

ÆMONÆ CONDITÆ AN. 945.

PTolomæus Macedoniæ Rex cū perjuriis etiam parricidia adiecisset, brevi post à Gallis spoliatus regno, captusque vitam ferro, vt meruerat, amisit. Namque Galli illi, qui jam olim Belloveso Duce, partim Alpes transierant, partim in Pannonia confederant, & Illyride, nostraque Japydia, recenter contribulium suorum Senonum à littore maris Adriatici depulso numero aucti, & gens naturâ bellicosa, quam animi Martij quiescere non sinebant, hoc anno divisagminibus, alii Græciam, alii Macedoniam, omnia ferro proterentes petivere. Tantusque terror Gallici nominis erat, vt etiam Reges non laceffiti, vltro pacem ingenti pecuniâ mercarentur. Solus Rex Macedoniæ Ptolomæus adventum eorum intrepidus audivit, iisque cum paucis, & incompositis, quasi bella non difficiliter quam scelera patrarentur, parricidiorum furiis agitatus occurrit. Dardanorum quoque legationem viginti millia armatorum offerentem opevit. Igitur Galli Duce Belgio alij

Just. I. 24.
Pausan. in
Phoc. I. 10.
Plut. in Pyrrho. Adelz,
P. 1. 13.

A. Bolgium appellant, ad tentandos Macedonum animos legatos ad Ptolomæum mittunt, offerentes pacem; si emere velit: ille timorem interpretatus, quod erat indulgentiæ, obsides eorum & arma petiit, fidem nisi inermibus non habiturus. Riferè Galli, & interjectis paucis diebus prælium iniere. Victi Macedones, Ptolomæus vulneribus faucibus in eorum potestatem devenit; caput amputatum, & lanceæ impositum totis castris circumlatum est. Hæc cum nunciata per Macedoniam essent, portæ urbium clauduntur, luctu omnia replentur & metu. Sothenes de principibus Macedonum contractâ iuventute, & Gallos victoriâ exultantes non nihil repressit, & patriam ab hostili populatione defendit. Eam obrem inter plures regnum affectantes ipse dignissimus visus, cui concederetur; solo tamen Ducis titulo contentus à subditis sacramentum exegit. Interea Brennus, quo Duce portio Gallorum in Græciam se effuderat, auditâ suorum victoria sub auspiciis Belgii, indignatus partâ victoriæ opimam prædam, & Orientis spoliis gravidam tam faciliè relictam esse: ipse adunatis CL. millibus pedum, & XV. millibus equitum in Macedoniam irrumpit. Occurrit ei cum suis Sothenes, sed superatur. Itaque Brennus exclusus ab urbibus, agros depredatur, & animum adijcit, ad templa expilanda, joco dictitans: locupletes Deos largiri hominibus oportere. Hosce Gallos iterum Adelzreiter contendit suos fuisse Boios ex Hercynia Sylva profectos, contra veterum scriptorum fidem, seqvutus Patriotam Velferum, sed Justino, cui nos subscribimus etiam fidem facit Pausanias, ab ipsomet Adelzreiter allegatus. *Ut Galli appellarentur non nisi serò usus obtinuit. Celtas enim cum ipsi se antiquitus tum alii nominarunt. Hi contractis undecunquæ copiis ad Jonicum mare conversi, omnes Illyrici populos, & quidquid gentium ad Macedoniam usque patet,*

Adelz. Añal.
Boic. P. 1. 13.

Pausan. in
Att. I. 1.

patet, quin & ipsos Macedonas oppressere. Vbi ad saltum Hercynium Jonicum mare? Sigoveso Duce in Hercynia confedisse olim Gallorum partem non eo inficias, sed dum quæritur, quinam Galli moverint contra Macedones, nego Hercynij saltus incolas fuisse, sed maris Jonii seu Adriatici accolas in Japidia nostra, in Pannonia contermina, in Liburnia & Dalmatia & reliqua Illyride, jam inde à primo ingressu elapsis trecentis, & pluribus annis, gente mirum in modum auctâ & propagatâ: quâ in re fidem potiùs habeo Justino quam Velfero; Pausaniæ, quam Adelzreitero. Alibi Pausaniæ jam citatus de hac Gallorum migratione loquens aciebat: *Cunctabundus Cerethrius præcessit, in Pannoniam verò habitatam Brennus ibat & Acichorius Princeps: Bolgius verò juxta Macedonas, & Illyrios sedes fixit.* Ecce terras ex quibus Brennus & Acichorius, & Bolgius collecto exercitu migrarunt in Græciam. Accedit Athenæus de expeditione Delphica agens: qui testatur Gallos Delphis repulso in priores terras rediisse, & nominatim Bathanatum ad Istrum in Pannoniam vbi ejus tempore adhuc locus extabat Bathanatiij nomine nuncupatus. Non assero tamen fuisse Bojos penitus exclusos à Delphica expeditione, quia & erant Gallica seu Celtica natio, licet jam pridem speciali nomine appellata, & poterant se nostratibus conjungere, & evocari è Bojohæmo, licet satis remoti; nondum enim illi Boij ad Istrum se contulerant, quos Romani ex Italia depulerunt, vt suo loco dicemus; sed an revera copiæ aliquæ ex Boiohæmo accesserint nostris Ducibus Brenno, Acichorio &c. silent authores, & de iis solùm narrant, qui in Illyrico & circa mare Adriaticum confederant, & per multos annos fuerant multiplicati. Si qui tamen accesserunt, quod fieri potuit, saltum eos fuisse Prin-

A. cipes hujus expeditionis, & conditores Galatiæ, id credere supersedeo, donec Boicus scriptor assertionem suam cum Velfero melius probet, contra Cluverium hic sanè accuratum & oculatum, nisi quod videatur Gallogræcos ex Gallis Italiæ prius inquilinis deducere. Benignam tamen ejus sententia admittit interpretationem, quia sine dubio observavit, Gallos Senones Adriatici maris accolas à Romanis pulso paulò post cum cæteris Transalpinis Gallis adversus Delphos expeditionem suscepisse, & hoc sensu verum est, *ex Italia, non verò ex Boiohæmo per Danubium in Asiam* transisse. Malè ergò Velferus, & cum eo Adelzreiter colonias Gallogræcorum, seu Galatarum ex Boiohæmo petit, & Sigovesi militi tribuit, quod Bellovesi posteritati debetur. Etsi enim trajecto Danubio brevissimus in Illyricum fit transitus, non tamen eâ parte, quâ Boij Bojohæmum coluerunt, vt constat locorum peritis. Vetus Japydia fuit pars veteris Illyrici, vt multi volunt; sed vltra Japydiam ad Septentrionem Illyris eo tempore non protendebatur, & tamen Bojohæmum seu Bohemia hodierna distat à veteri Japydia septuaginta, & vltra milliariibus Germanicis, aut si Bojohæmo adjungas regnum Morobodui seu Moraviam, sexaginta; & hoc vocat Velferus brevissimum transitum in Illyricum. Sed illud etiam ostendit hunc authorem sui fuisse immemorem, quod allegando clarissima verba Justini in suum favorem, non adverterit contra se facere. Justinus disertè: *Galli abundantè multitudine cum eos non caperent terræ quæ genuerant, trecenta millia hominum ad sedes novas quærendas, velut ver sacrum miserunt. Ex his portio in Italia consedit, quæ urbem captam incendit: & portio Illyrios sinus per strages Barbarorum penetravit; & in Pannonia consedit; gens aspera, audax, bellicosa, quæ prima post Herculem Alpium invicta juga, &*

Clu. Nor. c. 5.

Pausan. in Phoc.

Athen. Deipnos. l. 5.

frigore intractabilia loca transcendit. Ibi domitis Pannoniis, per multos annos cum finitimis varia bella gesserunt. Hortante deinde successu divisis agminibus alij Græciam, alij Macedoniam, omnia ferro proterentes petivere. Duas hic portiones (loquens haud dubiè de solo Bellovesi exercitu) Gallorum memorat Justinus, quarum vna in Italia, altera in Pannonia, & Illyrico confedit, neutroubi dicit è Boiohæmo vel Hercynia Sylva huc immigrasse. Nihilominus securè Velferus: *Quæ in Illyricum venit, illa fuerit oportet, cui Livius Hercynios in Germania saltus Sigoveso Imperatore destinatos scripsit, unde trajecto Danubio brevissimus est in Illyricum transitus. Hanc avibus Ducibus iter fecisse creditur, perque barbarorum strages in terram Pannoniam pervenisse.* Falleris Velfere, Portiones, de quibus Justinus loquitur, sunt portiones exercitus Bellovesi, non Sigovesi de quibus Livius; Sigovesi exercitus hæsit in saltu Hercynio, Bellovesi verò quærendo transitum aliam pervenit ad saltus Juliæ Alper quos transijt, & portionem relinquens in ipsis Alpibus ac vicina Pannonia, semper habitantes in Pannonia, & Japydia, Gallos cognatam agnovit gentem: vti suprâ pluribus ostensum. Sed quid multis opus? habemus Duces primarios exercitus in Græciam traducti Brennum, & Bolgium, quorum hic juxtâ Macedonas, & Illyrios, hoc est in Liburnia, Japidia, & si vis etiam Istriam sedes fixit, ille verò in Pannonia habitavit teste Pausania. Si quæ aliæ vicinæ gentes (demus etiam cognatæ, & Celticæ) sese his adjunxerunt, expeditionis qualisqualis gloria apud Brenni, & Bolgii familiam mansit, illis in societatem precariò admixtis, si tamen admixtis. Quo & illud spectat, quòd Appianus scribat Delphicæ expeditioni interfuisse Scordiscos, gentem nimirum Gallicam seu Celticam Brenno Duce ex Pannonia

A profectam, quæ teste Justino reversa in pristinis sedibus inter Confluentes Istri, & Savi confedit. Verba Appiani sunt: *Aliæ item Illyriorum gentes, præcipuè Scordisci Medique, ac Dardani rursus vna cum Celtis in Macedoniam, & Græciam impetum fecere, multisque alijs exspoliatis templis, ne à Delphico quidem sacrilegas manus abstinuerunt.* Ergò Celtæ, Dardani, Medii, Scordisci, qui Delphos exspoliaverunt fuerunt, Illyrii omnes: ergò non fuerunt Boij ex Boiohæmo.

ANNUS MUNDI 3776.

ANTE CHRISTUM 277.

URBIS CONDITÆ AN. 475.

ÆMONÆ CONDITÆ AN. 946.

B Rer II. vel vt Megiferus putat hoc nomine III. Gallorum Dux deprædatâ Macedoniâ in Græciam Delphos iter vertit; prædam religioni præferens, Deos nullis opibus egere, vt qui eas largiri hominibus soleant, dictitans. Templum autem Apollinis Delphis positum est in monte Parnasso, in rupe vndique impendente: ibi civitatem frequentia hominum fecit: Brennus cum in conspectu haberet templum, diu deliberavit an confestim rem aggrediretur, an verò fessis de via militibus noctis spatium ad resumendas vires daret. Emanus, & Theffalorus Duces, qui se ad prædæ societatem junxerant, amputari moras suadent, dum imparati hostes, & recens adventus sui terrori esset. Sed Gallorum vulgus ex longa inopia, vbi primum vino cæterisque com meatibus referta rura invenit, non minus abundantia quàm victoriâ lætum per agros se sparserat, desertisque signis ad occupanda omnia pro victoribus vagabantur. Interim Delphi priusquam hi ad signa redirent, viribus sociorum aucti, se muniverunt. Erant Delphorum sociorumque non nisi quatuor millia

Megif. Añal. Carinth. l. 2 c. 1. S. Hiero. in Comment. Epist. ad Galatas. Præf. Suidas verb. Galat. Spondan. anno Christi. 59.

Ve'fer. hist. Boic. l. 2. 1

Just. l. 32.

App. in Illyr.

millia; Gallorum sexaginta quinq; millia. Circumsidentur Delphi, oppugnantur, assultus repellitur: terræmotu concussa rupes ex parte suprâ Gallicum exercitū procumbit, vnde confertissimi cunei non sine vulneribus dissipati ruūt. Dux ipse Brennus cum dolore vulnere ferre non posset, pugione vitam finit. Infecuta deinde tempestas est, quæ grandine, & frigore faucios ex vulneribus absumpsit. Alter ex Ducibus multatis belli auctoribus citato agmine cum decem millibus fauciorum Græcia excessit: sed & hos assidui imbres, gelu, nix concreta, & fames, & lassitudo magna ex parte peremerunt. Intactum mansisse tunc templum Delphicum pleriq; scripserunt, Polybius captos Delphos, & direptum thesaurum prodidit, ex quo dein contacto pestis secuta possessores afflixit: vnde & aurum Tholosanum proverbio notum, originem habuisse credebatur. Post direptionem aut saltem cladem Delphicam supervenisse fertur Acichorius alterius turmæ Gallorum Dux, qui paulò mitiorem fortunam expertus est. Nam inde digrediens in Hellepontum, suos opportunitate locorum pellectos circa Byzantium consistere permisit, qui successu temporis Thyle Rege cōstituto, devictis Thracibus, Byzantiis ipsis bellum intulerunt, & pro more gentis terrere assuetæ tributum extorserunt, redempta à Byzantinis vt tradit Polybius, vexatione modo tribus, modo quatuor & quinq; modo decē millibus aureorum, ad extremum etiam octoginta annuis talentis. Partem verò hujus exercitus in Pannoniam, Noricum & vicina loca rediisse notavit Athenæus suprâ allegatus, & post eum recentiores, Lazius, Cluverius, Aventinus: quanquam si hi non rediissent, Pannonia & Japydia, quin & vicinæ regiones Liburnia & Illyris nihilominus hoc ævo Gallos seu Celtas inquilinos suos agnoscerent. Non enim omnes in Græciam transferant, sed solùm superflua

A. multitudo, quæ variis dein casibus inniuta facilè ad pristinas sedes potuit immigrare. Huc quoq; spectat quod Livius memorat: Galli postquam Brenno Duce in Dardanos pervenerunt, seditione orta ad viginti millia cum Lomnorio & Lutario regulis secessione facta à Brenno in Thraciam iter averterunt, vbi cum resistantibus pugnando, pacem petentibus stipendiū imponendo, Byzantium cum pervenissent, aliquamdiu orâ Propontidis vectigalem habendo, regionis ejus vrbes obtinuerunt. Fusè hæc profequitur Añalium Boicorū nuperus scriptor, sed omnia penè suis Boijs, qui fuerunt Tolistobogi, attribuens.

Liv. l. 38.

ANNUS MUNDI 3777.

ANTE CHRISTUM 276.

URBIS CONDITÆ AN. 476.

ÆMONÆ CODITÆ AN. 947.

I Nter duos Reges Antigonum, & Antiochum statutâ pace, cum in Macedoniam Antigonus, vt sibi hæreditariam reverteretur, novus eidem hostis repentè exortus est. Quippè Galli, qui à Brenno Duce cum in Græciâ proficiscerentur, ad terminos gentis tuendos relictī fuerant, ne soli desides viderentur, peditum quindecim millia, equitum tria millia armaverunt; fugatisque Getarum Triballorumque copiis Macedoniæ imminentes, legatos ad Regē miserunt, qui pacem ei venalem offerrent, simul & Regis castra specularentur. Quos Antigonus pro regali munificentiâ ingenti apparatu epularum ad cænam invitavit. Sed Galli expositum grande auri argentique pondus admirantes, atque prædæ vbertate inescati, ferociores quam venerant revertuntur. Quibus & Elephantes ad terrorem, velut invisitatas formas ostendi jufferat, & naves onustas copiis demonstrari: ignarus, quod quibus ostentatione virium metum se injicere existimabat, eorum animos ad opimam prædâ sollicitaret. Itaq; Legati ad suos reversi,

Just. l. 25. S. 1. ad hunc an.

Polyb. l. 4.

Laz. Migrat. 1. 2. Clu. in Germ. Ant. Avent. hist. Boic.

omnia in maius extollentes, excitarunt avidam Gallorum gentem. Accedebat recens exemplum Belgij, qui Macedonum exercitum cum Rege trucidaverat, & docuerat vinci posse, quod invictum privato iudicio censebatur. Itaque consensu vnanimi nocte castra Regis aggrediuntur: qui praesentis tantam tempestatem, signum pridie suis dederat, ut omnibus rebus ablatis, in proxima Sylva taciti se occultarent. Neque aliter servata castra, quam quod deferta sunt. Siquidem Galli, ubi omnia vacantia, nec sine defensoribus modo, verum etiam sine custodibus vident; non fugam hostium sed dolum arbitantes, diu intrare portas timuerunt. Ad postremum integris & intactis munimentis, scrutantes potius, quam diripientes castra occupaverunt. Tunc ablatis, quae invenerant ad littus convertuntur. Ibi dum naves incautius diripiunt, à remigibus, & ab exercitus parte, quae eo cum liberis, & conjugibus confugerat, nihil tale metuentes trucidantur: tantaque caedes Gallorum fuit, ut Antigono pacem opinio huius victoriae non à Gallis tantum, verum etiam à finitimorum feritate praestiterit. Quanquam Gallorum eam tempestate tantae foecunditatis iuventus fuit, ut Asiam omnem velut examine aliquo implerent. Denique neque Reges Orientis sine mercenario Gallorum exercitu vlla bella gesserunt: neque pulsi regno ad alios, quam ad Gallos confugerunt. Tantus terror Gallici nominis, & armorum invicta felicitas erat, ut aliter neque maiestatem suam tutam neque amissam recuperare se posse sine Gallica virtute arbitrarentur. Itaque in auxilium à Bithyniae Rege evocati, regnum cum eo partam victoriam diviserunt, eamque regionem Gallograeciam cognominaverunt. Haec ferè verbis Iustini referre placuit, ut constaret, quis in Gallograeciam Gallorum populus immigraverit: nimirum is, qui Macedo-

niae vicinus, in Illyride, Japydia, Istria Pannonia, insolitam fecunditate sese dilatabat in Orientem, & meridiem, cum in Occidentem non posset maris obstaculo, & Romanorum potentiam impeditus, in septentrione verò cognatos nollet laceffere. Et ne possis de tempore conditae Gallograeciae dubitare, signat Iustinus ferè ipsum annum; cum addit. Dum haec in Asia geruntur interim in Sicilia Pyrrhus à Pœnis navali praelio victus ab Antigono Macedoniae Rege supplementum militum per Legatos petit, quod ad annum mundi 3779. tertio scilicet Antigoni Regis Macedoniae anno accidisse supputat Salius: ut proinde nihil dubitare liceat ab iis Gallis, qui Delphos expeditionem susceperant, aut saltem ab eorum in nostra Pannonia, Japydia, Liburnia, Illyride reliquiis, conditam fuisse Gallograeciam seu Galatiam, cuius vel ipso Lazio teste multa in nostris partibus supersunt vestigia. *Supersunt adhuc*, inquit Lazius, *cum apud Hungaros in Pannoniis, tum apud Austriacos in Norico ripensi montes Galata, & Gallenberg appellati, qui veterum nobis incolarum suggerunt memoriam.* Galatae ergo ad quos deinde post reparatam salutem D. Paulus scripsit, nostrae fuerunt originis, ex reliquiis nempe Gallorum potissimum Senonum, qui ad littus Adriatici maris latè per Japydiam, Illyridem, & Liburniam, quin & Pannoniam se diffuderant, ut ex haecenus relatis constat. Huc spectat illud Livij de migratione Gallorum nostratium in Asiam. Audientes ex propinquo quanta veritas terrae ejus esset, cupido eos cepit in Asiam transeundi, & Lyfimachiam fraude captam, Chersonesoque omni armis possessam ad Hellepontum descenderunt. Ibi verò exiguo divisis fretocernentibus Asiam, multo magis animi ad transeundum accensi. Sed orta rursus inter regulos seditione, Lomnorus Byzantium revertit, Lutarius intra paucos

Laz. Migrat.
gent. l. 2.
pag. 45.

Liv. l. 38.

cos dies trajecit, Macedonibus, quos secum habebat per speciem legationis ad speculandum præmissis. Non multò post Lomnorijs adjuvante Bithyniæ Rege à Byzantio transmisit, & cõjere rursus in vnum Galli, auxilia laturo Nicomedi adversus Zyboeam patrem: profecti deinde ex Bithynia in Asiam cum tres essent gentes Tolistobogi, Trocni, Tectosagi: in tres partes, quæ cuique populorum vectigalis esset Asia diviserunt. Trocnis Hellepontis ora data: Tolistobogii Æolida atque Joniam, Tectosagi mediterranea Asiæ fortiti sunt, & stipendium tota cis Taurum Asia exigebant, sedem autem ipsi circa Halyn flumen cæperunt, tantumque terror eorum nominis erat, multitudinem etiam magnâ sobole auctâ, ut Syriæ quoque ad postremum Reges stipendium dare non abnuerent: Hos Tolistobogios frustra conatur Velferus, & post eum Adelzreiter scribere Tolistoboios, & Boiis adnumerare, ut eruditè contrâ illos ostendit Cluverius. Et mirum, quod Boiis suis totum id tribuere velint hi authores quidquid de Gallis legerunt, cum ipsi illi vetusti authores, Strabo, Livius, alii, quos allegant expressè Boios à Gallis, licet ejusdem à prima origine stirpis, nominetenus discernant, his ipsis temporibus, quibus Galli contrâ Romanos pugnarunt, & Delphos profecti sunt, & in Asiam trajecerunt, neque tamen de Boiis vspiam tradant Delphos, vel in Asiam profectos esse. Et cur Adelzreiter cum de servilibello mentionem fecisset, reprehendit Brunnerum, & Velferum, quod id bellum ad res Boicas traxerint affinitate solum gentis. *Conjecturâ* (inquit) *satis frigidâ. Nam licet unus ex Ducibus Chrixus fuerit, non ideò censendus est fuisse Boius, aut Boico nomini quidquam contulisse. Plutarchus quidem plerosque conjuratorum memorat fuisse Thracas, & Galatas: sed neque ea ratio Boiis suffragatur, eo quod Plutarchus Græco vocabulo Gallos*

A. *quosvis passim Galatarum nomine compellat. Quod si per Galliam Boicam quis intelligat, nimis procul à Galliæ vera natione aberrat. Nam id temporis Boij peculiare gentis suæ nomen patriamque sortiti, communem Gallicæ nationis appellationem, perinde atque sedem habitationemque dimiserant. Atqui etiam tempore Delphicæ expeditionis jam nomen peculiare sortiti, Gallicam appellationem dimiserant, cur ergò contendis illos in Asiam profectos? nempè Tolistobogi vel Tolistobogii nominantur inter illos, quorum nomen à Boico desumptum est, sed hoc ait Cluverius esse fictitium. Et ego putarem Brunnerum, Velferum hoc loco benè suspicari, quod illi Galli in servili bello nominati, non alij fuerint, quàm Boiorum illorum posterij, qui circa annum V. C. 563. Italiâ pulsij in Pannonia inferiori Tauriscis permixti habitaverunt, vicini Thracibus; siquidem Anno V. C. 678. id est solis 15. annis post Boiorum ex Italia migrationem, ut Paulus Diaconus supputat, enatum est servile bellum Ducibus Chrixo, & Oenomaio Gallis, & Spartaco Thrace, qui fortè nupero bello anno V. C. 676. & sequentibus duobus cum Macedoniam infestassent, à Cn. Scribonio Curione aut Caio Cosconio Proconsule domiti, & pars eorum capti ad gladiatorios ludos reservati fuerant: quæ sanè optimè cohærent cum Romana Historia. Sed prosequamur Chronologiam.*

ANNUS MUNDI 3780.

ANTE CHRISTUM 273.

URBIS CONDITÆ AN. 479.

ÆMONÆ CONDITÆ AN. 950.

PYRRHUS Epirotarum Rex, qui proximis annis Italiam, Siciliamque turbaverat, hoc anno Macedoniam otii impatiens perturbavit, incrementa rerum, quæ de Romanis Siculisque voluerat, de Macedonibus quærens, ut ait Plutarchus: at Justinus

belli

Cluv. in Nor.
c. 5.

Cluv. Noric.
cap. 5.

Paul. Diac. in
Misc. l. 6. c. 7.

Adelz. P. I.
l. 3. n. 79.

Plutarch in
Pyrrh. Just.
L. 25.

belli causam attribuit negatis contra Siculos, & Romanos auxiliis: prætextus erat. Ergò cum aliquot vrbes cepisset, & duo millia militum Antigoni ad ipsum defecissent, maius aliquid animo concipiens contra ipsum Antigonum profectus est, & apud fauces, quæ Ste-næ Græcis sunt, eum affecutus, totum, exercitum in aciem deduxit. Galli in extremo agmine Antigoni erant, ingenti numero. Hi fortiter steterunt contra hostem, acrique commisso prælio plerique occisi sunt: Antigonus in fuga maritimas quasdam vrbes obtinuit. Pyrrhus autem in hoc rerum successu maximè ad gloriam sibi facere victoriam de Gallis iudicans, spolia de illis splendidissima legit, & in templo Minervæ Itonidis suspendit hac inscriptione; vt habet Plutarchus.

*Hos chryseos donum tibi Pallas Itoni, Molossius
Suspendit Pyrrhus de trucibus Galatis.
Devicto Antigono, res non ita mira: fuerunt
Nunc bellatores, Æacidaeque manent.*

Post pugnam statim vrbes recepit. Ægeas autem cum occupasset, non modo malè tractavit cives, sed & præsidium Gallicum reliquit, ex iis qui castra ipsius sequebantur: vbi Galli monumenta Regum effodere aggressi pecuniam diripuerunt, ossa per libidinem disjecerunt, dissimulante Pyrrho vel metu eorum, vel mole occupationum.

ANNUS MUNDI 3782.

ANTE CHRISTUM 271.

URBIS CONDITÆ AN. 481.

ÆMONÆ CONDITÆ 952.

IN fugam coniectus Antigonus Macedonum Rex Thessalonicam se recepit, vt inde conductâ Gallorum mercenariâ manu bellum repararet. Rursum à Ptolomæo Pyrrhi filio victus cum septem comitibus fugiens, non jam recuperandi regni spem, sed salutis latebras, ac fugæ solitudines captat. Igitur Pyrrhus in tanto fastigio felicitatis

Plutarch. in
Pyrrh. Iust.
cit. l. 25.

Alocatus Græciæ Asiæque regna mediatatur. Primum illi eodem hoc anno bellum adversus Spartanos, conductis etiam (haud dubiè ex Illyride & vicinis Liburnia, & Japidia) duobus millibus Gallorum, sed virtute Spartana non tam virorum, quam mulierum exceptus, magnam exercitus partem, & filium Ptolomæum amisit Argos inde profectus cum Antigono edita illic loca occupanti insultat, nocte præmissis Gallis, quos secum habebat vrbem ingressus est nemine sentiente, nisi jam foro à Gallis impleto. Interim Argivi per aliam portam Antigonum admiserunt. Manè illucescente Pyrrhus videns vrbem hostilibus plenam armis animo concidit, & inter confertissimos acerrimè dimicans saxo de muro dejecto occiditur. Antigonus Macedoniam recuperat. Tanta jam Gallicæ virtutis fama clarescebat, vt Reges sine illis pugnare sibi inconsultum putarent.

ANNUS MUNDI 3784.

ANTE CHRISTUM 269.

URBIS CONDITÆ AN. 483.

ÆMONÆ CONDITÆ AN. 954.

DUm Aristodimi in Epiro Tyrannis opprimitur Antigonus Gonatas Macedoniæ Rex multiplici bello, Ptolomæi Regis, Spartanorum, & Gallogræcorum impetitur. Gallogræci, qui ante paucos annos in Bythiniam concesserant ex Asia inopinatò effusi in Antigonum arma converterunt, adversus quos ille totis viribus proficiscitur, Illi dum ante pugnam de more hostias cædunt, exta rimantur, interitum sibi portendi animadvertunt, nec tamen metu sed furore correpti, sperantes Deorum suorum iram expiari cæde domesticâ posse, conjuges & liberos suos trucidant. Ità quasi scelere vitam victoriamque redemissent, vt erant recenti cæde cruenti in prælium non faustiore eventu, quàm omine profecti,

Iust. l. 26.
Joseph. l. 12.
c. 2.

Sigon. de
temp. Ath.

fecti, obversantibus ante oculos occisorum manibus ad vnum omnes cæduntur. Antigonus tam felici successu elatus bellum porrò Atheniensibus infert, eos terrâ marique oppugnans, quæ latius legere licet apud Justinum, Josephum, Sigonium, & alios. Eodem hoc anno evocantur à Ptolomæo Philadelpho Alexandriam septuaginta sacrarum literarum interpretes, de quibus latè Aristæas. Multis deinceps annis obscuræ sunt res gestæ nostrorum Celta- rum, Japydum, & Pannoniorum, scriptorum defectu, qui toti ferè in describendo bello Punico occupati, aliena præteriere. Illud memoriâ dignum Romæ hoc primum tempore, & quinto ejus seculo excurrente, argenteum nummum cufum; tam serò ditescere Roma cepit, aurum paulò post calcatura.

ANNUS MUNDI 3813.
ANTE CHRISTUM 240.
URBIS CONDITÆ AN. 512.
ÆMONÆ CONDITÆ AN. 983.

Seleucus Callinicus, vel ut alii scribunt Gallinicus, quia à Gallis seu Galatis victus, Syriæ Rex, novercam suam cum fratre parvulo occidit; Berenice hæc erat Ptolomæi Regis Ægypti soror, hinc odium populorum incurrit, qui Ptolomæo se subjecerunt. Bellum ausus inferre eidem Ptolomæo, victus Antiochiam profugit. Inde ad Antiochum fratrem litteras dedit, quibus auxilium ejus implorabat, oblatâ ei Asiâ inter fines Tauri montis, præmium ferendæ opis. Antiochus cum esset annos XIV. natus suprâ ætatem regni avidus occasionem non tam pio animo, quàm offerebatur arripuit: sed latronis more totum fratri eripere cupiens, puer sceleratam virilemque sumit audaciam. Unde Hierax est cognominatus, quasi accipitrem in alienis rapiendis imitaretur. Intereâ Ptolomæus ne cum duobus vno tempore dimicaret, ad decen-

A. nium cum Seleuco paciscitur. Sed pax ab hoste data interpellatur à fratre, qui conducto Gallogræcorum mercenario exercitu pro auxilio bellum, pro fratre hostem, imploratus exhibuit. In eo prælio vitute Gallorum victor quidem Antiochus fuit, sed Galli arbitantes Seleucum in prælio cecidisse, in ipsum Antiochum vertère arma: liberius depopulaturi Asiam, si omnem stirpem regiam excidissent. Quod ubi sensit Antiochus, velut à prædonibus, auro se redemit, societatemque cum mercenariis suis junxit. Roma hoc anno ab aqua pariter & igne damna tulit. Tyberis exundans omnia ædificia in plano posita delevit: ignis, incertum vnde ortus, plurimas civitatis partes pervagatus cum hominum domorumque miserabilem stragem fecit, tùm etiam tantum opum vno consumpsit incendio, quantum plurimæ peregrinæ victoriæ conferre vix possent. Deinde cum omnia in circuitu fori popularetur, ædem Vestæ corripuit: nè sibi quidem Diis subvenientibus, & ignem illum, qui æternus putabatur, temporarius ignis oppressit. Metellus dum arfuros Deos eripit, vix brachio semiuftulatus aufugit, & oculis ex inde privatus est. Tribuit ei populus Rom. quod nulli alij ab condito ævo, vt quoties ad senatum iret, curru veheretur in Curiam: magnum & sublime, sed pro oculis datum, vt ait Plinius, & paulò post futurum commune.

ANNUS MUNDI 3814.
ANTE CHRISTUM 239.
URBIS CONDITÆ AN. 513.
ÆMONÆ CONDITÆ AN. 984.

Eumenes Rex Bythinæ sparsis consumptisque fratribus bello intestinæ discordiæ, quasi vacantem Asiæ possessionem invasurus, victorem Antiochum Hieracem, & simul Gallos aggreditur. Nec difficilè saucios adhuc ex superiore congressione, inter-

Arist. Bibl.
SS. PP. Paul.
Diac. Miscel.
L. 2. c. 29.

Oros. lib. 4.
c. 13.

Plin. lib. 7.
c. 43.

Just. l. 27.

Just. l. 27.

ger

geripse viribus, superat. Victo Antiocho cum Eumenes maiorem Asiæ partem occupasset, aliam prædarentur Gallogræci, ne tunc quidem fratres concordare potuerunt, sed in mutuum exitium iterum arma rapuerunt. Iterum victus Antiochus ad socerum Artamenem Regem Cappadociæ, mox ad hostem Ptolomæum profugus, nusquam tutus, cum ex carcere elapsus esset, à latronibus interfectus est, nec multo post etiam Seleucus equo præcipitatus vitam finit.

ANNUS MUNDI 3816.

ANTE CHRISTUM 237.

URBIS CONDITÆ AN. 515.

ÆMONÆ CONDITÆ 986.

Polyb. l. 2.

GAlli Cisalpini superioribus præliis contra Romanos gestis vexati, quinque & quadraginta annos quievère non violatà in Italia pace, quam pepigerant. Postquam verò senes, qui & conspexerant sæpè pericula, & varias experti fuerant jacturas, naturæ concesserunt, insurrexere juvenes ingenio pravo, rudes, & præteritarum rerum omninò inexperti. Hi ut fert natura hominum, confestim novis rebus studere cæperunt, & quocunque res ferret, infesti Romanis esse, à Transalpinis etiam auxilium advocare. id principio Duces tantum inconsultà plebe peragebant: quo factum est, ut venientibus Ariminum cum exercitu Transalpinis, multitudo Bojorum, quæ hujusmodi rerum ignara erat, adventum Transalpinorum verita, cum Ducibus suis dissenserit, Ate & Gallo regibus interfectis, prælium cum Transalpinis commiserit. Romani quoque ea tempestate adventu Transalpinorum terri-ti copias eduxerant, sed cum primum Gallorum inter se conflictum audierunt, domum iter verterunt. Sic narrat Polybius. Verùm Orosius, & Zonaras diversa tradunt; nempè à Valerio Consu-

Oros & Zon.
ap Sal. hic

Ale bis pugnatum esse contra Gallos, & primò quidem prælio victum fuisse Valerium amissis ter mille quingentis Romanorum: cumque sibi Româ mitti auxilia intellexisset, antevertisse pugnam, ut aut per se victoriam assequeretur, aut gloriosè occumberet. Favit tunc illi victoria, quatuordecim millia hostium cecidit, duo millia cæpit, sed ob priorem cladem triumphus Consuli negatus est. Paul. Diac. hæc breviter annotans ait Gallos Alpinos hoc bellum gessisse. Quinam autem fuerint hi Galli five Alpini five Cisalpini, & alii, qui subsidium afferebant Transalpini, cum multæ sint Alpes, quas ea tempestate Galli accolebant, non possum statuere. Salianus notat: Gallos istos & Boios, quorum hic facta mentio, ad finem maris Adriatici coluisse vbi Ravenna, Adria, Forum Julij, Patavium: ex quo saltem habetur Boios nondum fuisse pulsos ex Italia, adeòque littus Istri & vicina loca non habitasse, nec permixtos Tauriscis eo tempore, quo Transalpini seu nostrates Galli Brenno Duce Delphos petierunt.

Pau. Diac.
Miscel. l. 2.
fine.

ANNUS MUNDI 3817.

ANTE CHRISTUM 236.

URBIS CONDITÆ AN. 516.

ÆMONÆ CONDITÆ AN. 987.

C.

L. Cornelius Lentulus & Q. Fulvius Flaccus bello contra Gallos suscepto, dum vnâ agebant, insuperabiles erant: sed cum separati loca quædam maioris prædæ cupiditate vastare cæpissent, Flacci castra noctu circumdata in periculo fuerunt. Galli verò tum repulsi, multis adscitis sociis, deuo Romanos invaserunt. Pugnatum vtrinque vario Marte.

Zonar. ap.
Salian. hic

ANNUS MUNDI 3818.

ANTE CHRISTUM 235.

URBIS CONDITÆ AN. 517.

ÆMONÆ CONDITÆ AN. 988.

Ter-

Tertius hic Annus est quo Romani cum Gallis Cisalpinis certarunt. Causa belli nostratum Gallorum cupiditas; hi se ob multitudinem suam, vel sine pugna terrorem incussuros arbitrati per Legatos Ariminensem agrum repetierunt, & ipsa urbe Romanos excedere. Consules nec abavere quod petebatur, nec ob paucitatem suorum conflare ausi, inducias pacti sunt, ut ijs de rebus Legati à Gallis Romam interea mitterentur: qui cum apud senatum eadem postulassent casto conatu, in castra reversi res suas perditas reppererunt. Quidam enim ex eorum sociis mutatâ sententiâ, Bojos sunt aggressi; multi utrinque ceciderunt, reliqui domum reversi: Boij per pactiones magnâ B. agri sui parte mulctati sunt.

ANNUS MUNDI 3820.
ANTE CHRISTUM 233.
URBIS CONDITÆ AN. 519.
ÆMONÆ CONDITÆ AN. 990.

Agron Illyriorum Rex Pleurati filius, militiâ supra majores clarus mercede à Demetrio Macedonum Rege corruptus Midionis contra Ætolos subsidium tulit. Appetente comitorum die per noctem circiter centum lembi Midoniam, quam Ætoli obsidione premebant comparuere. Ætoli novitate rei & Illyriorum andaciâ perculsi, animo tamen ex priorum temporum successibus elato ad arma procurrunt, sed ab Illyriis fugantur: Midonij ex urbe erumpunt, fugaces persequuntur, & magna ex parte sternunt. Illyrij peracto Regis imperio, impedimentisque & prædâ navigiis impositâ, domum reversi, Agronem Regem summè exhilarant; qui ob id se profusæ lætitiæ & comotationibus dedit, quibus vitam parùm duraturam exegit. Nam intemperantiæ pretium est vitæ brevitatis. Appianus tradit Agronem hunc Illyriis dominatum in ea parte Illyrici,

A. quæ circa Jonij maris sinum est sita, quâ Pyrrhus Epiri Rex, quive Pyrrho vicissim adhæserant, olim tenere: Unde Dalmatiæ Liburniæ, & forsitan Istriæ Regem fuisse conjectare licet: hæ quippe sunt ad intimum sinum Jonij maris.

ANNUS MUNDI 3822.
ANTE CHRISTUM 231.
URBIS CONDITÆ AN. 521.
ÆMONÆ CONDITÆ AN. 992.

Quinto anno à superiore Gallico tumultu M. Æmilio Lepido Consule ut tradit Polybius, Romani Galliæ Cisalpinæ agrum Picenum dictum, quem devictis Senonibus ademerant, dividerunt, postquam C. Flaminius studio gratificandi populo, legem hanc suassisset, ac tulisset, in vito ac repugnante senatu. Quâ lege offensa Galli præsertim Boij, qui tunc Insubriæ partem tenebant, in societatem novi belli nomina dederunt. Statim ergo communi consilio legatio missa ad Gallos Inalpinos circa Rhodanum, quos Gæfatas, (quod mercede militare solerent) dictos putat Polybius, alij melius à gæfis armorum genere; & ad Reges Congolitatum, & Aneroëstem; hortando, ut cœcto exercitu in Italiam transirent, id quod communitatis in Romanos odio vel æmulatione facile impetrarunt. Dilatum tamen fuisse hoc bellum ex eo C. conijcies, quod Gæfatas accessisse Gallis post septennium memorent authores, & hoc anno solum à Romanis aperiri iustos libros Sibillinos, quod vix nisi summe periclitante Republica consuetum fuisse constat.

ANNUS MUNDI 3823.
ANTE CHRISTUM 230.
URBIS CONDITÆ AN. 522.
ÆMONÆ CONDITÆ AN. 993.

Agron Illyriorum Rex liberalioribus epulis indulgens in pleuritiâ incidit, quæ ipsi post paucos dies vitâ ademit. Reliquit infantem filium cui

Luc. de Dal-
mat. lib. 1.
cap. 1.
Appian. in
Illyrico.

cui Pineus nomen fuit. Regnum Teuta
vxor Agronis Pinei noverca suscepit,
fide amicorum in rerum administratio-
ne vtens. Hæc more ingenij muliebris,
quum nihil nisi præteritam victoriam
ob oculos poneret, de externis nihil co-
gitaret; suis primum concessit, vt sin-
guli quoscunque haberent obvios inter
navigandum deprædarentur. Ità sinus
Adriaticus lembis prædonum brevi re-
pletus omnem penè sustulit commer-
ciorum necessitudinem. Quid Istriani
nostri tunc egerint, fuerintnè Illyrio-
rum pars, an socij, incertum est; con-
termini certè aut bella meditari debuerunt
si se juncti Dominio, aut in eandem con-
spirare maris infestationem. Liburnos
Illyrijs accenset Annæus cum ait: *Il-
lyrij seu Liburnij sub extremis Alpium ra-
dicibus agunt, inter Arsiam Titiumque
flumen, longissime per totum Adriatici ma-
ris littus effusi.* Istrianorum vicinorum
non meminit. Theutam hanc Illyrio-
rum Reginam Megiferus vanissimo
commento nullâ fide datâ vetusti ali-
cujus scriptoris vxorem fuisse asserit
Thassilonis II. Regis Norici, & ex eo
matrem Ariovisti Regis Germaniæ, Vi-
ridomari Regis, Theodonis I. Regis No-
rici, quamvis eam appellet Reginam I-
striæ, non Illyridis in linea Genealogica,
sed in contextu historiæ disertè tradit
fuisse viduam Agronis Illyriorum Re-
gis, & addit multò insulsius Thassilonè
hunc secundum Theutæ maritum re-
giam habuisse supra Dravum & Savum
in vrbe Noreja id est Goritia. At hæc fat
procul à Savo & Dravo, & vix Goritia
fuit vnquam Noreja.

ANNUS MUNDI 3824.

ANTE CHRISTUM 229.

URBIS CONDITÆ AN. 523.

ÆMONÆ CONDITÆ AN. 994.

Theuta Illyriorum Regina para-
tâ navali classe exercitum emit-
tit, factâ Ducibus potestate, vt

Polyb cit.
Jo Lucius.
cit.

pro hostibus populos omnes haberent.
A. Prima expeditio in Elæorum & Messe-
niorum fines suscepta est, perpetuis Illy-
riorum incurfionibus obnoxios. Per id
tempus cum fortè in Epirum proficisce-
rentur, Phœnicem venere. Erant tunc in
ea vrbe Galli milites circiter octingen-
ti, qui mercede ab Epirotis conducti vr-
bem tutabantur. Cum his habito ser-
mone de prodicione civitatis, haud re-
luctantibus Gallis in terrâ descendunt,
vrbe potiuntur. Concurrunt illicò Epi-
rotæ, castrametantur ad ripam vicini
fluminis, & tabulas, vt ab iis qui in vrbe
erant tuti forent, à ponte tollunt. Inte-
rea nuntiatum Scerdilaidem cum quin-
que millibus Illyriorum pedestri itinere
per angusta Antigoniæ loca adventare;
B. ergò exercitum dividunt Epirotæ, par-
tem in Antigoniam mittunt, reliquæ
turmæ ad Phœnicem consistunt. Non
fefellit ea res Illyrios qui civitatem oc-
cupaverant: proinde intempestâ nocte
pontem sternunt, erumpunt, flumen
traijciunt, & summo mane contrâ Epi-
rotas aciem dirigunt. Certatum acriter
ab vtrisque: victoria penes Illyrios stetit,
qui Scerdilaidi conjuncti plura tentaturi
erant, nisi literæ Reginæ allatæ ob res
domi turbatas & defectionem vrbium
quarundam ad Dardanos, eos revoca-
sent. Galli hi Phœnices Epiri vrbis pro-
ditores, qui fuerint docet Polybius: ij-
dem videlicet, qui ex intima Gallia seu
Francia propriis laribus expulsi Cartha-
ginensibus serviverant contrâ Roma-
nos, Erycinæ præsidij causa inducti pro-
ditionem moliti erant, quâ impeditâ ad
Romanos transfugæ Veneris Erycinæ
templum spoliaverant, demum cognitâ
eorum fluxâ fide à Romanis inermes
navibus impositi tota Italia excedere jus-
si erant, & in Epirum migraverant.

ANNUS MUNDI 3825.

ANTE CHRISTUM 228.

URBIS CONDITÆ AN. 524.

ÆMONÆ CONDITÆ AN. 995.

Roma-

Polyb. lib. 2.

Romani qui hætenus delatas ad se querimonias de Illyriis erant aspernati, tunc cum plures simul ea gratia in senatum venissent, Legatos in Illyridem decernunt Cajum & Lucium Coruncanos, vt de iis rebus accuratè cognoscerent. Theuta reverfis ex Epiro lembis, copiam advectæ supellectilis demirata ad laceffendos injuriis Græcos animosior est reddita, vt ferè solet famineum genus modico Fortunæ risu vltra modum insolescere. Vcrùm quia demi res turbata erat nihil tunc movit. Eodem tempore advenerunt Romanorum Legati, qui ad colloquium admissi, de injuriis expostularunt. Theuta quamdiu verba facientes audivit, ingentem animi ferociam, & superbiam præsetulit; postquam verò dicendi finem fecissent, curæ sibi futurum respondit, nequa Romano populo ab Illyriis publicè fiat injuria: cæterū vt impediatur quo minus privatim, quam quisque potest vtilitatem è mari capiat, hoc verò Regibus in more nequaquam esse. Tulit indignè hæc illius verba junior Legatorum, & apud Reginam libertate vsus, cui tunc locus non erat: At Romanis inquit, ô Theuta mos hic est pulcherrimus, vt privatim factas injurias publicè persequantur, & injuriam passis opem ferant: operam igitur Diis propitiis dabimus, vt regia tua instituta emendare cogaris. Ad hæc Regina muliebri ingenio eò iracundiæ prorupit, vt ne-

Plin. l. 34. c. 6
Flor. l. 2. c. 5.
Oros. l. 4. c. 13.
Appian. in Illyr.

Zonaras, ap. Salian.

A cunia nervus est belli, ad contrahendum mercenarium Gæfatarum militem hac opus erat. Ideò ex venditione tum aliarum rerum, tum captivorum magnam vim corradebant. Romani veritine iis opibus contrà se vterentur, edixerunt ne quis homini Gallo aurum vel argentum daret. Sub anni finem incipit atrox bellum cum Illyriis: Theuta Regina ignara quantos sibi hostes in Italia peperisset, navales iterum copias partim Dyrrhachium, partim in Corcyram misit, quæ (Dyrrhachio tantum non primo incurfu occupato) in Corcyram appellunt, eamque amissa navali pugna ad deditionem cogunt. Illyrij præsidium Corcyræ imponunt, eique præficiunt Demetrium Pharium, qui sibi à Theuta metuens ad Romanos deficit, adventanti C. Fulvio Consuli cum ducentarum navium classe Corcyram cum præsidio tradit. Alter Consul Posthumius terrestri itinere viginti millia peditum, duo equitum deduxit. Demetrii consilio, & ductu expugnatae mox vrbes plurimæ, per Legatos in fidem & societatem receptæ non paucæ. Theuta cum paucis Rizonem oppidum munitum procul à mari fugit, in ripa fluvij cognominis situm. Si quid nominum similitudini tribuendum Risanum flumen extat hodieque in Istria si fortè Istria tunc subiecta Theutæ, & illic oppidum aliquod munitum stetit, quod à verosimili non ablutit. Meminit Appianus etiam Effiorum ad Theutam Legati Calempori, qui pariter jussu Theutæ contra jus gentium fuerit peremptus.

Appian. cit.

ANNUS MUNDI 3826.

ANTE CHRISTUM 227.

URBIS CONDITÆ AN. 525.

ÆMONÆ CONDITÆ AN. 996.

Theuta Illyriorū Regina fastu posito legatos ad Romanos mittit, qui paciscantur. Foederis condiciones ini-

Polyb. lib. 2.

tæ, vt quot annis tributum pendat, Illyride vniversâ præter pauca loca abstinere, vltra Lissum ne naviget, nisi duobus lembis inermibus. Ità Romani jam vniversæ Italiæ Domini facti, Græcorum invidiam nihilominus & potentiam veriti, eos legationibus sibi devincire coacti sunt. Posthumius, qui superiore anno cum 40. navibus remanserat, ad Ætolos primum, & Achæos misit, qui belli suscepti causas exponerent: & hoc primum fuit Romanorum cum Græcis commercium. Dio in fragmentis notat Agroni in regno successisse Pinem filium puerulum sub tutela novercæ Theutæ; idem habet vt dictum Appianus. Romæ Cn. Fulvius Centumalus navalem de Illyriis triumphum meruit alienæ proditiōis præmium.

ANNUS MUNDI 3827.

ANTE CHRISTUM 226.

URBIS CONDITÆ AN. 526.

ÆMONÆ CONDITÆ AN. 997.

Polyb. lib. 2.

PER hæc tempora Romani cum & multa de Gallorum consiliis audirent, & imminens periculum facile ipsi conijcerent, in assiduo metu modo conscribebant exercitus, modo com meatibus parandis operam dabant, & in Hipsania bellum adversus Carthaginenses promovere periculosum rati, si domestica non essent secura, missis ad Asdrubalem Legatis, pacem sanciverunt. Exinde aggredi Gallos, & vt-cunque res cessura esset, decreverunt subire periculum, & aleam jacere, haud dubij, quòd non solum non domitari Italiæ, sed ne tutò quidem patriam vel proprios penates retinere possent, nisi domitis Gallis.

ANNUS MUNDI 3828.

ANTE CHRISTUM 225.

URBIS CONDITÆ AN. 527.

ÆMONÆ CONDITÆ AN. 998.

A. D Ecemviri Romani, consuetudinem priscae superstitionis aggressi Gallum virum, & Gallam foeminam, Græcum & Græcam in foro Boario vivos sub terra defoderunt. Sed obligamentum hoc Magicum in authores recidit, senseruntque diras, quas fecerant externorum mortes, & foedissimis suorum cædibus expiaverunt. Nam

Plutarch, in Marcello. Zonaras in Annal. Oros. l. 4. c. 13.

ANNUS MUNDI 3829.

ANTE CHRISTUM 224.

URBIS CONDITÆ AN. 528.

ÆMONÆ CONDITÆ AN. 999.

B. ERUPIT tandem hoc anno funestissimum bellum Celtarum contra Romanos, quod jam octavum annum parabatur. Gætatae Galli sub Regibus suis Concolitano & Aneroeste ingenti exercitu magnificè instructo superatis Alpibus ad Padum, & Cisalpinos Gallos venire, quo etiam Insu-bres Boijque magnâ multitudine collecti accesserunt. Veneti & Cenomani societatem populi Romani, amicitiae Gallorum prætulere. Gallis haud dubiè etiam Taurisci, Carni, & Japydes nostri adhæserint: cum Taurinos in exercitum eorum numeret Polybius. De Liburnis, & in reliqua Illyride adhuc morantibus Gallis, verosimile est quod ab expulsis non pridem Senonibus animati reliquæ Gallorum multitudini se conjunxerint, vt neque major vnquam exercitus neque ex validioribus pugna-cioribusque militibus, neque apparatu insignior Gallorum visus sit teste Polybio. Numerata fuisse à Gallis ducenta millia, sive viginti myriades scripsit Diodorus Siculus, ex quibus magna pars ad tuendos fines relicta fuerit, cum Polybius solum quinquaginta peditum millia (fortè solum eorum, qui Alpes transierunt non computatis Cisalpinis) equitum verò & bigarum duo millia numeret. Romani cum primum à Gal-

Polyb. lib. 2.

Flor. lib. 2. c. 4. Eutrop. & Paul. Diac. Miscell. l. 3.

Diodor. Sic. l. 25.

lis

his superatas Alpes cognovere L. Æmili-
um Consulem cum exercitu Arimi-
num miserunt, ut illic oppositus hosti-
bus, transitum eorum prohiberet: vnus
verò Prætorum proficisci in Hetruriam
iussus, quod alter Consul C. Atti-
lius in Sardiniam cum classe navigaret.
Urbs tota moesta atque sollicita erat, nec
sine ingenti metu tanti Gallorum cona-
tus expectabantur: veniebant in men-
tem vetustæ clades, & fatalem Roma-
næ vrbi gentem omnes formidabant.
In vtriusque Consulis exercitu octin-
genta millia armatorum fuisse feruntur,
sicut Fabius Historicus, qui ei bello in-
terfuit, scribit. Ex quibus Romanorum
& Campanorum erant peditum trecen-
ta quadraginta octo millia ducenti: e-
quitum verò viginti sex millia sexcenti:
reliqua multitudo sociorum fuit. Pau-
lò minorem numerum ponit Polybius
exactè per partes describens, & calculo
ducto, omnium inquit ex tota Italia ar-
matorum numerus septies centena mil-
lia, equitum ad septuaginta millia fue-
runt. Jam Galli in Hetruriam descen-
derant ferro & flammâ omnia vastantes
cum ad Clusium Romanorum copias
adventare intelligunt, ibi placuit jam
occidente sole castra vtrinque commu-
nire. Obortis dein tenebris Galli erectis
de more ignibus equitatum omnem in
castris relinqvunt, peditatum abdu-
cunt, iussis equitibus subsequi prima lu-
ce: ipsi occultè Fesulas iter faciunt, eo
consilio, ut simul equites suos recipere-
nt, & subsequentes hostes circumve-
niant. Romani conspicati equites tu-
multuariè abeuntes fugâ interpretati, ra-
pto post eos agmine incautiùs feruntur,
quos vbi affecuti sunt, concursantibus
ex composito Gallis acre initur certamè.
Cecidere Romanorum sex millia, reli-
qua omnis multitudo fugam inijt, & sa-
lutem pedibus quæsiuit: pars aliqua in
tumulum natura loci munitum se rece-
pit. Exinde evocatus in auxilium sociis
periclitantibus Æmilius Consul iter ac-

A. celerat: Galli verò prædâ onusti do-
mum reverti statuunt, relictiisque ibi sar-
cinis Hetruriam repetere. Hos dum à
tergo Æmilius sequitur atet Consul At-
tilius, qui nuper ex Sardinia Pisas vene-
rat, expositis in terram copiis à fronte
occurrit. Acriter dia certatum, Attilio
Consule interfecto, nequaquam animos
desponderunt Romani, sed ferocius in-
surgentes ordines Gallorum turbant,
Gæssatas cædunt, equites fugant, victo-
riâ potiuntur. Cecidere Gallorum qua-
draginta millia; decè millia capta. Con-
golitanus Rex vivus in potestaté venit,
Aneroëstes cum paucis in clivum pro-
B. ximum delatus ipse sibi mortem consci-
vit. Eutropius Duces Britomarum &
Ariobistonem nominat: Britomaro in-
quit Duce Galli non prius posituros se
balthea iuraverant, quam Capitolium
Romæ ascendissent, quod & factum est.
nam victos eos Æmilius in Capitolio di-
scinxit. Et quia Dux eorum de Roma-
no milite Marti suo torquem aureum
devovisset, de ipsius Ariobistonis reli-
quorumq; Gallorum torquibus aureum
trophoeum Jovi erexit. Partâ tam no-
bili victoriâ Consul cum vtroque exer-
citu secundum Liguriæ fines iter faci-
ens, in Bojorum agrum irrupit, fatiatif-
que prædâ militibus paucis diebus co-
C. pias Romam vnivas reduxit. Hunc
finem habuit Gallorum expeditio, quæ
Romam tumultu, vniversam Italiam
terrore compleverat. Æmilius Ro-
mæ triumphasse 4. Idus Martii Anno
V. C. 528. habent Tab. Capitol. ac pro-
inde hoc bellum ad annum priorem re-
ferri deberet, si annus rectè notatur in
Tabulis, aut certè eodem anno & bel-
lum confectum, & triumphatum à
Consule.

ANNUS MUNDI 3830.

ANTE CHRISTUM 223.

URBIS CONDITÆ AN. 529.

ÆMONÆ CONDITÆ AN. 1000.

P. Post superiorem victoriam in spem
adducti Romani posse Gallos ex

Paul. Diac. &
Eutro Misc.
lib. 3. c. 3.

Polyb. lib. 2.

Italia omninò expelli, novos Consules Q. Fulvium & T. Manlium cum exercitu, & ingenti apparatu contra illos miserere. Hi Bojos primo impetu perterritos in fidem Romanam adegerunt. Deinde cum in reliquos Gallos grassari cœpissent, multitudine imbrium ac pestilentia impediti ab incepto desistere coacti sunt. Ita quidem Polybius. At Orosius scribit ab his Consulibus Romanas legiones trans Padum ductas, pugnatumque ibi cum Insubribus Gallis, quorum viginti tria millia interfecta sint, quinque millia capta: id vnum post hac contententibus Romanis, ut gentem sibi fatalem & æmulatricem sensim extinguerent.

ANNUS MUNDI 3831.

ANTE CHRISTUM 222.

URBIS CONDITÆ AN. 530.

ÆMONÆ CONDITÆ AN. 1001.

Polyb. lib. 2.

Consules P. Furius, & C. Flaminius rursus in Galliam cum exercitu profecti receptisque in amicitiam Ananibus (Anamaros vocat Sallianus) qui non longè à Massilia habitant, mox in Insubrum agros legiones traduxere, non longè ab eo loco, quo Adua fluvius in Padum influit. Verùm & in transitu, & dum castra ponunt multis affecti damnis, ex pacto mox illis locis excessere. Deinde per proximas regiones multos dies vagati, in Cenomanorum ditionem venerunt. Quibus assumptis quod foci essent Romani populi, è subalpinis locis in planitiem Insubrum exercitu infesto iterum irruerunt, omnia ferro & flamma vastantes. Itaque Insubrum Principes desperato cum Romanis fœdere, de rerum summa cum iis decertare statuunt, quinquaginta hominum millia armant, signa aurea, quæ immobilia vocitant, è templo Minervæ tollunt, quo major ex eorum præsentia pugnandi ardor militum accenderet. Romani longè viri-

bus suppres, & inconstantiam fœderatorum Gallorum veriti, castra apud Aduam amnem locant, vocatos ad se Cenomannos transire amnem jubent, pontem rescindunt, ne illis spes redeundi animos ad præliandum minueret. Pugnatum est magis Tribunorum virtute quàm prudentia Consulibus, & victoria in Romanos se inclinavit: qui spoliis ingentibus onusti rediere. In hoc bello decem millia Gallorum cæsa, decem & septem millia capta notavit Orosius. Flaminius Consul contemptis auspiciis pugnavit. Amnis qui Picenum perfudit sanguine manare visus: tres Lunæ apud Ariminum observatæ: augures vitio creatos Consules obnuntiavere.

B. Quare senatus Consules extemplo revocavit, sed Flaminius non prius resolvit literas, quam fuis hostibus, ob id ei penè negatus triumphus: sed hoc tamen concessio; ob contemptui habitas literas cum collega Magistratu privatus, & in ordinem redactus est. Eodem anno Rhodi illud mundi miraculum Colossus terræ-motu concussus corruit. Et peringens spatium longo post tempore jacuit.

ANNUS MUNDI 3832.

ANTE CHRISTUM 221.

URBIS CONDITÆ AN. 531.

ÆMONÆ CONDITÆ AN. 1002.

Galli sinistrae fortunæ casibus fatigati, Legatione missâ, Romanis ad quasvis condiciones paratos se offerunt. At M. Claudius & C. Cornelius Consules creati, ne id à Senatu impetrarent, educere omni celeritate in Provinciam exercitum maturarunt. Quare Galli desperatâ pace, quasi extremum periculum facturi ad bellum se comparant, triginta millia Gæfatarum conducunt Duce Viridomaro. Consules primo vere legiones educunt in agros Insubrum, urbem dein Acerras inter Padum & montana Alpium sitam obfi-

Oros. ap. Sallian. Zonar. hist. Eccl.

Oros. lib. 4. c. 13. Plut. in Marcello. Paul. Diac. 1. 3. c. 4.

Euseb. in Chron.

Polyb. lib. 2.

obfident. Insubres cum suis opem ferre non possent, ad divertendum hostem Calftidium cingunt. Id simulac Consulibus nuntiatum est, M. Claudius cum equitatu & parte expeditorum ferre obfessis auxilium properat: quibus eontra Galli intrepidi obviant, quamvis insperati. Marcellus Consul cum omnia infesta videret, nec evadere posset necessitate extorquentem virtutem, in medium hostium ruit, eaque audacia percussis, Regem quoque eorum Viridomarus occidit: atque vbi spes salutis vix fuerat, inde opima retulit spolia. Postea cum collega ingentes copias Gallorum adortus non minorem fortunam expertus est. Nam inter multa Insubrum, quos tunc sub jugum misit, oppida; Mediolanum quoque urbem florentissimam ante annos trecentos octoginta tres, a Gallis conditam, cepit. Prædâ hic potitus ingenti Marcellus, ac triumphans spolia Gallici Regis, ut loquitur Eutropius, stipiti imposta humeris suis vexit. Hic finis belli Gallici. Eodem tempore in Græcia Antigonus Tutor cum Cleomene Lacædemonio feliciter pugnat, Spartam occupat; vbi ei Illyrij egregiam operam navarunt. Mox fugatis Laconibus ipsi Macedoniam infestis armis aggressi sunt, & Antigonom a Græco bello revocarunt. Vagantes cum offendisset Illyrios, structâ acie eos adortus devicit, sed tantis incertamine vsus clamoribus, ut profluvio sanguinis paucos post dies exspiravit.

ANNUS MUNDI 3833.

ANTE CHRISTUM 220.

URBIS CONDITÆ AN. 532.

ÆMONÆ CONDITÆ 1003.

GEstia hujus anni brevi apud omnes compendio perstringuntur. Eutropius hæc habet: Minutio Ruffo, Pub. Cornel. Coss. Histris bellum illatum, quia latrocinati navibus

A. Romanorum fuerant, quæ frumenta exhibebant, ac multo Romanorum sanguine fuso perdomiti sunt. Livij Epitomator brevius: *Istri subacti sunt.* Vix plura Zonaras, & alij. Sic multa nostratium, vel planè oblivione sepulta, vel nimia scriptorum brevitate obscurata manserunt. Egregiè tamen certasse Istrianos nostros vel inde licet concludere, quod Romanis victoria multo suorum sanguine constiterit. Istros autem ad piraticam in mari Adriatico exercendam a Demetrio Phario Romanorum beneficiorum oblito inductos fuisse Appianus tradit, vti ex sequentibus patebit.

ANNUS MUNDI 3834.

ANTE CHRISTUM 219.

URBIS CONDITÆ AN. 533.

ÆMONÆ CONDITÆ AN. 1004.

Demetrius Pharius fluxæ fidei homo cum videret Romanis triennali Celtico bello circa Padum occupatis, non satis virium & spatij esse ad sumenda contra alios hostes arma, ad mare latrocinij infestandum se contulit, adjunctis sibi Istris, & Illyriis; Atintanisque auctor fuit desciscendi a Romanis. Spem autem suam potissimum reponebat in regia Macedonum, quod bello Cleomenico arma cum Antigono junxerat. Contemptis igitur Romanis, utpote confecto bello Gallico graviore Carthaginensium implicitis, Romanæ ditionis vrbes in Illyrico vastare, & in suam potestatem redigere aggressus vltra Lissum contra leges pacis 50. lembis navigans, multas e Cycladibus insulis incurfavit. Duxerat hic Demetrius, ut Dion. testatur, post obitum Theutæ, Pinei Regis Illyriorum matrem Tritautam, & se pro tutore Pinei gerebat in Illyride, quæ ad Jonij maris sinum pertinet.

Appian. in Illyr.

Dion. in fragm.

ANNUS MUNDI 3835.

ANTE CHRISTUM 218.

URBIS

URBIS CONDITÆ AN. 534.

ÆMONÆ CONDITÆ AN. 1005.

Polyb. lib. 3.
Dion. in fragment.
Appian. in Illy.

ROmani cum & à Carthaginensibus sibi metuunt, & Demetrium Pharium Macedonicæ innixum potentia hostem habent, ad res Illyrici componendas animum adiciunt, ac vere ineunte L. Æmilium Consulem in Illyridem cum exercitu mittunt. Demetrius interim idoneum præsidium, & comæatum Dimalum mittit: cæteris urbibus, occisis, qui contrariæ fidei erant, amicos suos præfecit: ipse ex omni subditorum numero fortissimos selegit ad sex millia; & Phari collocavit. Consul ubi in Illyricum legiones perduxit, cognitâ hostium confidentiâ, Dimalum, quæ nunquam capta credebatur primam adoriri constituit. Igitur obsidione pressam, admotis operibus die septimo expugnavit; quæ res hostium animos ita fregit, ut certatim Romanæ tutelæ se committerent. Inde navali classe Pharum proventus, eam quoque in potestatem brevi tempore redegit, Demetrio in Macedoniam elapso, & rebus ex animi sententia compositis, affectâ jam æstate triumphavit.

ANNUS MUNDI 3836.

ANTE CHRISTUM 217.

URBIS CONDITÆ AN. 535.

ÆMONÆ CONDITÆ AN. 1006.

Appian. in Illyr.
Polyb. l. 3.

Demetrium Pharo & Illyridem excludum, Philippi Macedonum Regis ope adjutum, in patriam rediisse narrat Appianus, sed non multo post interceptum à Romanis & peremptum Pharo penitus eversâ. Illyricum regnum prætereà concessum Pineo Agronis quondam Regis filio. Verum alij, ut Polybius, propius vero affirmant Demetrium apud Philippum exegisse reliquum vitæ, & dum Messeniorum urbem oppugnaret, audaciæ poenas dedisse interemptum. Cæterum hoc anno Romani Carthaginensi

A. bello intenti duas condunt vrbes ad Padum, quarum quæ citrà flumen Placentiæ, quæ vltra, Cremonæ nomen obtinuit. Et iam deducebantur coloniæ, decreta singulis sex millia, cum Boij neglectis obsidibus, quos superiore bello dederant, à Romanis desciscunt, Triumviros qui dividendis agris destinati cum multitudine advenerant, armatâ manu aggressi in fugam agunt, eosq; Mutinæ obsident. L. Manlium subsidium afferentem obsessis, profligant & cædunt. Eodem tempore Philippus Macedonum Rex cum Ætolis, & Lacædæmoniis pugnaturus, à Scerdilaide Illyriorum sive Duce sive alterius partis Rege (Scerdiletum regulum appellat Livius) Liv. lib. 31. copias auxiliares impetrat, quæ impostæ quindecim lembis in Græciam navigarunt: plures domi retentæ ad sedandos Illyrici motus.

ANNUS MUNDI 3837.

ANTE CHRISTUM 216.

URBIS CONDITÆ AN. 536.

ÆMONÆ CONDITÆ AN. 1007.

Scerdilaides Illyriorum Dux ob non persolutum stipendium à Philippo Rege Macedonum, cui auxiliares copias submiserat, in Leucade & circâ Maleam quindecim lembis emissis piraticam exercet. Romani ad eundem Philippum Legatos mittunt, qui Demetrium Pharium bello victum & profugum deposcant. Alios item legatos ad Pineum Regem Illyrici, ad poscendum stipendium, cujus dies exierat, missi; aut si diem proferre vellet obsides accipiendos. Interim cum Annibale ad Trasymenum lacum infelicitè pugnatum. Philippus Macedo Argis Nemeæos ludos spectabat, quando è Macedonia tabellarius advenit Trasymenam cladem denuntians. Eam epistolam Rex soli Demetrio Phario ostendit, qui occasione oblatâ auctor esse cæpit Philippo, ut discordiâ cum Ætolis Polyb. l. 5.

Polyb. l. 5.

Liv. lib. 22.

Polyb. l. 5.

com-

compositâ, res Illyricas aggredieretur, & de traiectione in Italiam, imperioque ejus adipiscendo cogitaret. Id ille Regi juveni, prosperis adhuc fortunæ flabitibus utenti, & Macedoni, successori eorum qui ferè orbis Imperium tenebant, facile persuasit.

ANNUS MUNDI 3838.

ANTE CHRISTUM 215.

URBIS CONDITÆ AN. 537.

ÆMONÆ CONDITÆ AN. 1008.

Polyb. lib. 5.

Philippus Macedo magnam Illyrici partem occupat, & Scerdilaidem sibi conatur subijcere, de traiectione in Italiam cogitans: cujus gratia centum paravit lembos, quod ante eum nemo Regum Macedoniae fecerat. Scerdilaides à Romanis auxilium petere coactus, decem naves ex classe Lilybæana impetrat, quàm Rhegium transeuntès ubi conspexit Philippus vano correptus timore in Macedonia fugit. Sub idem tempus Prusias Bithyniæ Rex rem suis memorandam gessit. Galli, quos ex Europa Rex Attalus bello adversus Achæum in Asiam transfretaverat, cum ab Attalo discessissent, univèrsas Hellepontici civitates depopulabantur. Hi cum ad extremum Eliensium quoque urbem obsidione cinxissent, ab Alexandrinorum Duce Themiste obsidione soluta omni Troade expulsi sunt. Post hoc Galli (seu melius Galatæ nostri) Arisba oppido in Abydenorum regione capto vicinis civitatibus graves imminabant: contra quos Prusias cum copiis profectus, inito mox prælio eorum exercitum profligavit, conjuges eorum & proles nullâ ætatis vel sexûs discretionem occidit, metuque gravissimo Hellepontum liberavit.

ANNUS MUNDI 3839.

ANTE CHRISTUM 214.

URBIS CONDITÆ AN. 537.

ÆMONÆ CONDITÆ AN. 1009.

L Posthumius Consul designatus cum exercitu cæditur à Gallis Cifalpinis. Sylva erat vasta (Litaniam vocant) qua exercitum traducturus erat: ejus sylvæ dextrâ lævâque circa viam Galli arbores ita inciderant ut immotæ starent, momento levi impulsæ caderent. Legiones duas Rom. habebat Posthumius, sociorumque ab supero mari tantum conscripserat, ut viginti quinque millia armatorum in agros hostium induxerit. Galli oras extremæ Sylvæ cum circumfessissent, ubi intravit agmen saltum, tum extremas arborum succisurum impellunt, quæ alia in aliam instabilem per se, ac malè hærentem incidentes, ancipiti strage, arma, viros, equos, obruerunt, ut vix decem homines effugerent; nam eos, quibus Sylva pepercit, gladius Gallorum extra Sylvam peremit. Posthumius omni vi ne caperetur obnixus occubuit. Spolia corporis, caputque Ducis præcisum Boij ovantes templo intulere, purgato deinde capite calvam auro cælavere, idque sacrum vas ijs erat, quo solennibus libarent; poculumque idem sacerdotibus esset ac templi antistitibus. Præda quoque non minor quàm victoria Gallis obtigit. Nam etsi magna pars animalium strage Sylvæ oppressa erat, tamen cæteræ res, quia nihil dissipatum fuga est, stratae per omnem jacentis agminis ordinem inventæ sunt. Hæc à Livio narrata in dubium vocat Sallianus nisi nocte Sylvam ingressus fuerit exercitus. Gallis istis accessisse tunc Bojos, qui adhuc in Gallia togata morabantur disertè docet Livius, an etiam reliqui Galli, qui per Taurisca juga, Noricum, Pannoniam, & Japydiam sparsi erant, meritò dubites.

Liv. lib. 23.

ANNUS MUNDI 3841.

ANTE CHRISTUM 212.

URBIS CONDITÆ AN. 540.

ÆMONÆ CONDITÆ AN. 1011.

L

Philip

Polyb. lib. 8. **P**hilippus Macedo in Illyrico strenuè pugnat, Lissum occupat, & alia loca. Japydes nostros tunc Illyriis opem tulisse ceu proximos, & socios, pronum est conjectare, vt potentissimo hosti latius semper serpenti vires acciderent.

ANNUS MUNDI 3843.

ANTE CHRISTUM 210.

URBIS CONDITÆ AN. 542.

ÆMONÆ CONDITÆ AN. 1013.

Liv lib. 26.
Polyb. l. 9.
Sal. ad an.
præced.

M Valerius Lævinus, qui Græciæ & Philippo Macedoni imminabat, non solum Ætolos sibi devincere, & à Philippo abducere conatus est, sed vltra progressus in Asia Attalum Pergamenorum Regem populo Romano socium acquisivit, duos quoq; Illyriorum regulos Pleuratum & Sardiletum (reges vocat Livius) populosq; duos Lacædæmonios & Elæos foedere, quod cum Ætolis initum est, comprehendit. Mirum quantum per hos annos commentitiarum nugarum producit

Megist. l. 2. c.
4. 5. 6. & seq.

Megiferus, dum non solum omnia quæ de Gallis & Celtis apud authores reperit (exemplo haud dubiè Aventini) solis Bavaris vult attributa; sed & plura, quæ nullus veterum prodidit, de Ducibus, Regibus, eorum connubiis, aliisque rebus confingit, quæ præter dictum Aventinum nullus aliorum tradidisse invenitur. Hoc moneo, nec quis putet, qui eum legit, me multa patriæ & vicinis regionibus gloriosa transilire. Mihi fixum est illa solum operi inferere, quæ veteres melioris notæ Authores scripta reliquerunt; & potius tacitè plures annos præterire, quàm arbitrariis fictionibus implere chartam. *Ex veteribus Scriptoribus (inquit Gulielmus Ranchinus) haurire satius est, quàm ex novis quibusdam Rhapsodis, qui multa obtrudunt nobis, quæ nunquam facta, ficta, picta, aut scripta.*

Ranchin. l. 1.
Var. c. 15.

ANNUS MUNDI 3847.

ANTE CHRISTUM 206.

A. URBIS CONDITÆ AN. 546.

ÆMONÆ CONDITÆ AN. 1017.

A Sdrubal Pœnus cum M. Livio Salinatore Consule acie congressus, cæsis quinquaginta & sex millibus suorum fortiter dimicans occumbit. Orosius majorem cæforum numerum refert, Polybius tantum decem millium. Romanorum & sociorum occubuerunt octo millia, vt Livius, vel duo tantum vt Polybius, sed pro his civium Romanorum, qui ab hostibus capti fuerant supra quatuor millia captum recepta. Postridie cum esset nuntiatum Livio Consuli Gallos Cisalpinos Ligures (que qui aut prælio non affuissent, aut inter cædem aufugissent, vno agmine abire sine certo Duce, sine signis, sine ordine, posse si vna equitum ala mittatur omnes deleri: *Superfint, inquit: aliqui nuntij, & hostium cladis, & nostræ virtutis.*

Liv. l. 27. Po.
lyb. l. 9. Crof.
cit. sup.

ANNUS MUNDI 3863.

ANTE CHRISTUM 190.

URBIS CONDITÆ AN. 562.

ÆMONÆ CONDITÆ AN. 1033.

P Cornelius Scipio Consul cum Bojorum exercitu signa confert, & ingenti strage eos cædit, triumphum ea de causa postulans, non tamen absque P. Sempronij Trib. plebis contradictione, quod Ligures nondum coërciti fuissent. Sed Cornelius aptè reposuit, se neque Ligures Provinciam sortitum esse, neque de iis triumphum postulare, id propediem Q. Minutium collegam postulaturum. Se de Gallis Boiis, quos acie vicerit, castris exuerit, quorum gentem biduo post pugnam totâ acceperit in deditioem, à quibus obfides abduxerit pacis futuræ pignus; quorum tot millia ceciderit, postulare triumphum. Assensit Senatus, & Tribunum compulit ad remittendam intercessionem. Agri parte ferè dimidiâ mulctatos Bojos ab eodem Consule

Liv. l. 36.

notat Livius, in quam post biennium coloniarum binarum deductarum.

ANNUS MUNDI 3864.

ANTE CHRISTUM 189.

URBIS CONDITÆ AN. 563.

ÆMONÆ CONDITÆ AN. 1034.

Liv. lib. 27.

Romæ Legatos ex Gallia Cisalpina Placentinorum & Cremonensium. L. Aurunculejus Prætor in senatum introduxit. Iis querentibus inopiam colonorum, alijs belli casibus, alijs morbo absumptis, quosdam tædio accolarum Gallorum reliquisse colonias: decrevit Senatus ut C. Lælius consuli si ei videretur sex millia familiarum conscriberet, quæ in eas colonias dividerentur. Haud ita multo post C. Lælius B. Consul ex Gallia Romam rediit, is non solum ex facto absente se senatusconsulto in supplementum Cremonæ & Placentiæ colonos scripsit, sed ut novæ coloniarum duarum in agrum, qui Bojorum fuisset deducerentur retulit, & authore eo Patres censuerunt. Attritas nunc vires fuisse Gallorum cis Alpes manifestum est; penitus verò Bojos inde excessisse ut vult Adeltzreiter ad an. V. C. 565. nec ex Livio, nec ex alio authore deprehendo. Imò cum superiore anno solum dimidia parte agri mulctati fuerint, in reliqua dimidia eos perseverasse censendum.

ANNUS MUNDI 3865.

ANTE CHRISTUM 188.

URBIS CONDITÆ AN. 564.

ÆMONÆ CONDITÆ AN. 1035.

Liv. lib. 38.

Pleuratus Illyriorum Rex prima Ætoliarum populatur, Corinthium sinum cum sexaginta lembis invehit. Manlius Consul in Asia ad montem Olympum cum Galatis pugnat, & expugnat tres populos sub tribus Regibus Orgiagonte, Combolomaro, & Gauloto, multis cæsis, reliquis ad deditionem & pacis leges compulsis. Memorabile facinus à captiva Orgio-

gontis Regis vxore patratum præteriri non debet. Erat illa formâ eximiâ, & custodiebatur inter plures captivos, cui custodiae Centurio præerat, & libidinis & avaritiæ militaris. Is primo ejus animum tentavit, quem cum abhorrentem à voluntario videret stupro, corpori quod servum fortuna erat, vim fecit. Deinde ad leniendam indignitatem injuriæ, spem reditus ad suos mulieri facit, & ne eam quidem ut amans, gratuito; sed certo auri pondere pactus, ne quem conscium suorum haberet, ipsi permittit, ut quem vellet, unum ex captivis nuntium ad suos mitteret: locum propè flumem constituit; quo duo, nec plus, necessarij captivæ cum auro venirent nocte insequenti ad eam accipiendam. Fortè ipsius mulieris servus inter captivos ejusdem custodiae erat. Hunc nuntium primis tenebris extra custodiam Centurio educit: Nocte insequenti & duo necessarij mulieris ad constitutum locum, & centurio cum captiva venit. Ubi cum aurum ostenderent, quod summam talenti Attici (tanti enim pepigerat) expleret: mulier linguâ suâ stringerent ferrum, & centurionem pensantem aurum occiderent, imperavit. Jugulati præcisum caput ipsa involutum veste ferens, ad virum Orgiagontem, qui ab Olympo domum refugerat pervenit; quem priusquam complecteretur, caput Centurionis ante pedes ejus abiecit: mirantiq; cujusnam id caput hominis, aut quod id facinus haudquaquam muliebri esset, & injuriam corporis, & ultionem violatæ per vim pudicitiae confessa viro est, & deinceps gravitate vitæ hujus matronalis facinoris decus ad ultimum conservavit. Polybius scripsit se cum ea Sardibus esse collocutum, & insignem sapientiam animique excelsitatem demiratum. Florus paulò aliter hoc factum, & bellum in Gallogræcos commemorat, addubitans an Gallogræci Antiocho Syriæ Regi auxilia tulerint, an cupidus triumphus Manlius eos inter auxilia visos simulaverit,

Polyb. ap. Adeltzreit P. 1. lib. 2. Flor. lib. 2. c. 11.

laverit, certè negatus est victori triumphus, quia causam belli non approbavit. Cæterum ait gens Gallogræcorum sicut ipsum nomen indicio est, mixta est, & adulteratæ reliquæ Gallorum, qui Brenno Duce vastaverant Græciam, mox Orientem sequuti in media Asiæ parte federunt. Diversos à Gallogræcis Tolistobogos, Tectosagosque supponere videtur idem author, cum illos narrat in altissimos se montes recepisse, quos Tolistobogi Tectosagique jam infederant.

ANNUS MUNDI 3868.

ANTE CHRISTUM 185.

URBIS CONDITÆ AN. 567.

ÆMONÆ CONDITÆ AN. 1038.

Liv. lib. 39.

CN. Manlius Volso de Galatis Asiaticis, nostrorum Gallorum posteris triumphavit; serius ei triumphandi causa fuit ne Q. Terentio Culleone Prætoris causam diceret, & incendio alieni iudicij, quo L. Scipio damnatus erat, conflagraret: eo infensioribus in se, quam in illum iudicibus, quod disciplinam militarem severè ab eo conservatam, successor ipse omni genere licentiæ corruerat. In triumpho tulit coronas aureas ducentas, duodecim pondo singulas: scilicet mille ducentorum Coronatorum, quæ duodecies multiplicata efficiunt ducenta quadraginta millia Coronatorum. Argenti pondo ducenta viginti millia id est duos miliones, quadringenta & viginti millia coronatorum. Auri pondo duo millia centum & tria, id est ducenta decem millia & trecentos coronatos. Tetradrachmum Atticum centum viginti septem millia, id est quadraginta octo millia nongentos coronatos, præter arma, spoliaque Gallica, transvecta carpenta; duces hostium duo & quinquaginta ducti ante currum. Eodem hoc anno Galli Transalpini, quos in Pannonia, Japidia, Norico & Tauriscis sedisse

Salian. ad hunc ann.

A. pluries meminimus, transgressi in Venetiam sine populatione aut bello, non procul inde, ubi nunc Aquileja est locum oppido condendo cæperunt. Legatis Romanis de ea re trans Alpes missis, responsum est, neque profectos ex auctoritate gentis, nec quid in Italia facerent se scire. Facilis erat Pannoniis & Japydibus per Alpes Julias, quin & per Alpes Carnicas & Noricas, transitus: nostros igitur hos Celtas seu Gallos Germanos fuisse censendum est. Quo auctore fultus Henricus Palladius Transalpinos illos Gallos in Forum Julij ad condendam civitatem profectos à Rheni ripis deduxerit, mihi fateor nondum constat: neque enim Glareano aut Sigonio, quos in margine citat plus fidei habeo, quam meæ conjecturæ, donec antiquus scriptor proferatur. Illud sanè Palladius debuisset advertere patefactis ad hanc ætatem pluribus è Germania in Italiam viis nequaquam opus fuisse Rhenanis Gallis ultimum transitum quærere, cum obvios haberent priores Alpium Rheticarum, Noricarum, &c. vt de aliis taceam. Magis miror Palladium asserere, quod hæc prima fuerit Barbarorum (sic vocat nostros Gallos) in Forum Julium expeditio; cum legere potuisset apud Livium ducentis annis antea per Alpes Julias eosdem Gallos transiisse, & circa Adriaticum littus confedisse: Imò apud aliquos antiquos Historicos de transitu Jasonis, Argonautarum, eosque insequentium Colchorum, quæ citrà omne dubium supponunt Alpes Julias jam tunc in Italiam aditum præbuisse. Eodem hoc anno Annibal Romanorum quondam terror ad Regem Bithyniæ profugus, cum tradendus esset Romanis, venenum bibit, vt habet author Miscellæ. Apud Amiternum verò magnus ille Scipio Africanus in exilio vitam finijt, suoque inscribi iussit sepulchro:

Ingrata patria, nec ossa quidem mea habes.

Henr. Pallad. rer. Forijul. l. 2.

Auth. Miscell. lib. 4 cap. 5.

ANNUS MUNDI 3869.

ANTE CHRISTUM 184.

URBIS CONDITÆ AN. 568.

ÆMONÆ CONDITÆ AN. 1039.

GAlli Transalpini condendæ vr-
bi in agro Aquilejensi intenti,
cum finitimis pacificè agunt.
Duodecim millia virorum fuisse tra-
dunt, quorum magna pars inermis, re-
liqua ex agris raptim arma collegerat, vt
illos ex patria non ad vim inferendam,
sed ad commodiorem vitæ sustentatio-
nem profectos intelligeres. Urbis fun-
damenta ad duodecimum ab hodierna
Aquileja lapidem fuisse nonnulli scri-
bunt, Palladius eum collem, qui nunc
medius Utini visitur primis operibus
communitum existimat, velut augu-
stum simulacrum, futuræ olim amplif-
simæ vrbis. Interim Carni (vt idem
credit) consilium & opera Gallorum
conspicati, de his omnibus, quæ acci-
derant, per Oratores suos Romanis de-
nuntiant: Barbaros homines sive pen-
nis per aëra vectos, sive nubibus cælo
demissos, rectâ in Provinciam descen-
disse, ejus vacuum partem occupasse;
nunc vrbi moenia facere, quo diutius
parto potiantur. Illos quidem civiliter
admodum, & nulli injurios vsque ad il-
lud temporis se gerere; pacem, amici-
tiamque cum finitimis colere, agrorum
curam suscipere. Cæterùm nec sibi eo-
rum ingenia, nec arma placere. Movit C.
Patres tam curata monitio, quare non
sine honore dimissis Carnis, extemplo
trans Alpes Legati destinantur. Ibi quâ
auctoritate ea sit profecta multitudo
percunctantibus; responsum est, illos
non publicâ auctoritate profectos, non
publicis armis instructos, quid rerum
modo in Italia geratur nec scire, nec cu-
rare. Serius quàm oportuit redeunti-
bus Legatis negotium omne in novos
Consules rejectum est, qui aliis distenti-
curis, vt & alij subsequentes, de Gallo-
rum colonia non curarunt. Quod Palla-

Pallad. cit.
lib. 2.

A. dius Carnis hoc loco tribuit, rectiùs pu-
tem de Venetis intelligendum, siqui-
dem Carnos Gallicam gentem fuisse
nullus dubito, cum extet fragmentum
fastorum Triumphalium.

DE GALLEIS KARNEIS.

Quod circâ annum V. C. 635. re-
ferendum ex Orosio, Freculpho, &
aliis colligitur. Non est autem vero-
simile cognatam gentem sibimet ad-
versatam, præsertim fidei Romanæ
nondum obnoxiam. De Venetis fa-
cilis id est credere: interioribus scili-
cet Italiæ, quam Romani ferè id tem-
poris totam sub jugum miserant. Quin
imò ego existimo Carnos tunc primum
sub hoc nomine, & ex eadem Gallorum
colonia emerfisse, quandò jussi à Ro-
manis ex agro Aquilejensi decedere, in
propinqua montana immigrarunt, &
valles intermedias licet angustas, quasi
hominibus cæteris ignoti cæperunt in-
colere. Fatetur ipse Palladius ad hoc vs-
que tempus quo colonia Gallorum cir-
ca Aquilejam conditæ, nomen Car-
norum in obscuro latuisse, quasi gentis
à reliquo toto orbe distractæ. Anno se-
quenti Claudius Pulcher Consul duas
pacavit Provincias, Istriam & Liguriam,
& simul de vtrisque gentibus triumphavit,
vt putat Genebrardus, sed alij Con-
sulatum Claudij Pulchri sexennio tar-
dius referunt.

Oros. l. 5. c.
14. Freculph.
To. 1. lib. 6.
cap. 8.

Genebrar.
lib. 2. Chro-

ANNUS MUNDI 3871.

ANTE CHRISTUM 182.

URBIS CONDITÆ AN. 570.

ÆMONÆ CONDITÆ AN. 1041.

M Claudius Marcellus Consul,
cui Provincia Galliarum obvene-
rat, præmissis in Venetam re-
gionem L. Porcio Proconsule, vt ad no-
vum Gallorum oppidum legiones ad-
moveret, consternatos reperit Gallos,
qui se illicò in fidem dederunt. Duo-
decim millia armatorum erant. Adem-

Liv. lib. 39.

pta iis arma, quæq; alia aut populantes agros convexerant, aut secum attulerant. De his rebus Galli, qui quererentur legatos Romam miserunt. Introducti in Senatum exposuerunt, se superante in Gallia multitudine, inopiâ coactos agri & egestate, ad quærendam sedem Alpes transgressos, quæ inculta per solitudines viderent, ibi sine ullius injuria confedisse: oppidum quoq; ædificare cæpisse: quod indicium esset nec agro, nec vrbi ulli vim allaturos venisse. Nuper M. Claudium ad se nuntium misisse, bellum se cum ijs ni dederentur gesturum: sed certam, etsi non speciosam pacem, quam incerta belli præoptantes, dedisse se prius in fidem, quam in potestatem populi Romani: B. post paucos dies iustos & agro, & vrbe decedere; sese tacitos abire, quo terrarum possent, in animo habuisse: arma deinde sibi, & postremò omnia alia, quæ ferrent, agerentvè adempta: orare se S. P. Q. R. ne in innoxios deditos acerbius quàm in hostes sævirent. Senatus Legatis responderi iussit: neq; illos rectè fecisse cum in Italiam venerint, oppidumq; in alieno agro, nullius Romani Magistratus permisso ædificare conati sint: neq; senatui placere deditos spoliari. Itaque se cum ijs Legatos ad Consules missuros: qui si redeant vnde venerint, omnia iis sua reddi jubeant: quiq; protinus eant trans Alpes, & denuntient Gallicis populis, multitudinem suam domi contineant. Alpes propè inexuperabilem finem in medio esse: non vtiq; ijs melius fore, quàm qui eas primi pervias fecissent. Missi Legati tres. Galli, redditis omnibus, quæ sine cujusquam injuria habebant, Italiâ excefferunt. Legatis Romanis Transalpini populi benignè responderunt: seniores eorum populi Romani lenitatem castigarunt, quod impunitos dimiserint: id ad speciem factum, cum verosimilè non sit, gentem fœcundam ægrè tulisse superflue multitudinis di-

A. scessum. Ut hos Transalpinos Gallòs, qui oppidum in agro Aquilejensi condere inceperant, non alios fuisse credam, quàm nostræ superioris Pannoniæ & Taurisciæ incolas, facit tum loci vicinitas, tum patriæ hujus notissima præ aliis terris fœcunditas, tum Gallorum isthic habitantium continuata, & in Illyricum extensa propagatio, cujus & Strabo meminit, dum Japydes partim Strab. lib. 7. Illyricam, partim Gallicam appellat gentem; vt de situ loci qui Romanis propriè trans Alpes & infra Alpes est, modò fileam. Illud observatione dignum putem, quod jam olim nationes diversæ tametsi eandem terram colerent, propriæ tamen gentis nomenclaturam constanter retinuerint: id quod vel maximè nostris Celtis seu Germanis Gallis in more positum, vnde quocunq; locorum se conferrent Celtæ semper & Galli & Galatæ sunt nominati. Consuetudo hæc jam quidem in hisce regionibus, & apud Germanos exolevit: si tamen accuratius parum in retroacta tempora oculos vertamus, fatendum erit gentem nostram, quæ hodie Carniolorum fortitur nomen, æque ex duabus coalescere nationibus, ac olim Japydes. Nobilitas enim ferè tota Gallici seu Germanici sanguinis est, vti multæ plurium seculorum licet interruptæ Geneses indicant: plebs è contra Slavorum veterum reliquias & lingua & moribus adhuc conservat: Sed adeò hæ duæ nationes (si tamen duæ dicendæ) jam in vnam coaluerunt, vt præter veteres familias annalibus notas, de recentioribus tametsi nobilibus aliud statuere non possis, quam quod in Carniolia sint natæ. Ungaris pertinacior adhæsit consuetudo, quæ hodieque durat, vt in eodem loco, eadem domo sæpenumero tres familiæ sint trium diversarum nationum, has enim illi à familijs sicut Judæi à suis tribubus, per scrupulosam traditionem, non à Provinciis & terris sortiuntur. Vidi egomet domos in quibus

quatuor

quatuor familiæ cohabitabant, quarum una se Ungaram profitebatur, alia Germanam, tertia Slavam, quarta Bohæmam, quæ tamen omnes ibidem & genitæ & educatæ sciebantur. Sed ad Chronologiam redeamus. Marcellus Consul Gallis ex Provincia exactis, Istri cum bellum moliri cœpit, literis ad senatum missis, ut sibi in Istriam traduce re Legiones liceret: id senatui placuit; quid quidem eo consilio agebatur ut colonia Aquilejam deduceretur. Eodem tempore, ut placet Livio, Mutina & Parma coloniarum civium Romanorum deductæ, bina millia hominum in agro, qui proximè Bojorum, ante Thulcorum fuerat, octona jugera Parmæ, quina Mutinæ acceperunt. Quinquennio ante id factum refert Adeltzreiterus aitque tunc excessisse Bojos Italiâ, & in Tauriscia & Norico confedisse.

Adeltzreit.
Annal. Boic.
P. I. lib. 2.

ANNUS MUNDI 3872.
ANTE CHRISTUM 181.
URBIS CONDITÆ AN. 571.
ÆMONÆ CONDITÆ AN. 1042.

Romam iterum rumor allatus à Transalpinis Gallis juventutem armari: nec fundamento carere videbatur fama, si verum est Bojos ex Italia pulsos ad Tauriscos & Noricos habitatum venisse, ut vel his authoribus cognatæ gentes contra veteres suos hostes conspirarent. Marcellus Consul anni prioris priusquam Istros adoriretur Provinciâ excedere debuit, subrogatis de more aliis Consulibus Cn. Bæbio Pamphilo, & L. Æmilio Paulo. Istri interim nostri navalibus assueti excursionibus in Apulia Tarentinos & Brundusinos infestant. Marcelli exercitum suscepit Prætor Q. Fabius Buteo, cui Gallia commendata citrà Alpes, qui mox impigrè suscepto munere Istros adortus ex Foro-Julio seu Venetia, & Carnia pellit, huc enim jam sese extenderant, & nequid porrò hostile in Ro-

Liv. lib. 40.

Henr. Pal.
led lib. 2. re-
rum Foro-
Jul.

manos auderent, facile cohibet. Japydes nostros tunc adhæsisse Istri verosimilè est, cum inter Forum-Julij & Istriam medii essent, imò Istriam ab Oriente ambirent, atque adeò, quos è Venetia (quæ nunc Forum Julij) deturbavit Buteo, Japydes potius vel Carni fuere, quàm Istri, aut si Istri, non illæsis Japydibus, & Carnis.

ANNUS MUNDI 3873.
ANTE CHRISTUM 180.
URBIS CONDITÆ AN. 572.
ÆMONÆ CONDITÆ AN. 1043.

Vix Marcellus Consul exercitum Fabio tradiderat, cum novi motus ab Istri nostris excitati remoras injecerunt Romanis, quominus L. Æmilio Paulo in Liguria periclitanti subvenirent, aut pro voto Aquilejensem coloniam deducerent. Impedire hanc conati sunt Istri, sed quo belli apparatu, quo damno sive suo, sive hostium, id in obscuro mansit. Coërcitos fuisse à Fabio jam diximus; & Colonia vel ipsis invitis hoc anno deducta Coss. P. Cornelio Lentulo, & M. Bæbio Pamphilo. Annum urbis conditæ ponit Palladius (juxta diversam combinationem secutus Sigonius) 573. quo eodem tempore Gallis Transalpinis dominabatur Cincibilis Rex; eum ego non puto resedisse Noreiæ, si hæc Gortia fuit, uti vult Megiserus, qui eum Sympelium vocat: non enim credibile est Romanos Istri remotioribus bellum illaturos fuisse, relicto propinquiore Gallo Rege, aut Istros sine hujus auxilio Coloniam Aquilejensem impedire conatos, si eorumque regnum Transalpinæ Galliæ protensum fuisset. Verò propius est in Norico mediterraneo, vel Pannonia Cincibilem resedisse, cui fortè Galli in Pannonia Æmonam usque obtemperaverint: Japydes verò Gallico proprio. Nam Istriæ Æpulo; Japydibus Gallis Carmelus (Catimelum scribit

Liv. lib. 40.

Megise. Anna.
Carinth.
lib. 3.

Laz. de Mi-
grat. gent.scribit Lazius (& Illyrico Gentius im-
perabat.

ANNUS MUNDI 3874.

ANTE CHRISTUM 179.

URBIS CONDITÆ AN. 573.

ÆMONÆ CONDITÆ AN. 1044.

Liv. lib. 40.

L Duronius, qui Prætor anno su-
periore ex Illyrico cum decem
navibus Brundisium redierat,
inde in portu relictiis navibus, cum ve-
nisset Romam, inter exponendas res,
quas ibi gessisset in Regem Illyriorum
Gentium latrocinij maritimi causam a-
vertit: ex regno ejus omnes naves esse,
quæ superi maris oram depopulatæ ef-
sent, de his rebus se Legatos misisse, nec
conveniendi Regis potestatem factam. **B.**
Venerant Romam Legati à Gentio, qui
quo tempore Romani conveniendi Re-
gis causa venissent, ægrum fortè eum
in ultimis partibus fuisse regni dicerent,
petere Gentium ab senatu, ne crede-
rent confictis in se criminibus. Ad ea
Duronius adjecit; multis civibus Ro-
manis & sociis Latini nominis injurias
factas in regno ejus, & cives Romanos
dici Corcyræ retineri. Eos omnes Ro-
mam adduci placuit, C. Claudium Præ-
torem cognoscere, neque antea Gentio
Regi, Legatisve ejus responsum reddi.

ANNUS MUNDI 3875.

ANTE CHRISTUM 178.

URBIS CONDITÆ AN. 574.

ÆMONÆ CONDITÆ AN. 1045.

Liv. lib. 40.

Galli Transalpini tria millia ho-
minum in Italiam transgressi
neminem bello lacescentes, a-
grum à Coss. & senatu petebant, vt pa-
cati sub Imperio pepuli Romani essent.
Eos senatus excedere Italiâ jussit, veri-
tus haud dubiè populum ad bella na-
tum: & Consuli demandatum quærere
(Q. Fulvius is erat) ac animadvertere
in eos, qui principes & authores tran-
scendendi Alpes fuissent. Quinam hi

A. Galli fuerint, & qua Alpium parte trans-
gressi cum narrationem solius Livij fide
fulciam, nec ipse discreverit, ego divi-
nare non possum. Istri nostrates novam
Aquilejensem coloniam denuò incur-
sant, & circum eam piraticam exercent.
Missi igitur Romam Legati, qui de ho-
stium importunitate Patres edoceant.

Henr. Pal-
lad. lib. 3.
rer. Foro
Jul.

ANNUS MUNDI 3876.

ANTE CHRISTUM 177.

URBIS CONDITÆ AN. 575.

ÆMONÆ CONDITÆ AN. 1046.

Creatis hoc anno Romæ Consu-
libus M. Junio Bruto, & A. Man-
lio Volsone, bellum Istricum
Manlio demandatum est, quod ille fe-
lici temeritate vtcunque confecit. Ha-
bito consilio, cum alij gerendum ex-
templò antequam hostes copias contra-
herent, alii consulendum prius cense-
rent senatum, ipse avidus pugnae prio-
ribus assensus, ab Aquileia castra movit
ad fontes Timavi & limitem Japydiæ
nostræ. Eodem C. Furius Duumvir
navalis cum decem navibus venit, vt
littora vsque ad Aquileiam tueretur. Eæ
naves ad proximum portum in Istriæ
fines cum onerariis, & magno commea-
tu missæ, secutusque cum legionibus
Consul quinq; ferè millia à mari posuit
castra. Millè ferè passibus inde castra
erant Gallorum Japydum, quos Istri in
C. subsidium evocaverant, Carmelus pro
regulo erat, tribus aut amplius millibus
armatorum. Histri post collem inter ab-
rupta Carfi confederant ea parte, quæ
Timavo imminens vtriusque exercitus
prospectum adimebat. Sed facilè inter
cautes abditi speculatores cuncta refer-
re poterant, quæ apud Romanos age-
rentur. Postquam stationes invalidas
esse pro castris, eorum turba inermis fre-
quens inter castra & mare mercantium,
sine vlllo terrestri aut maritimo muni-
mento viderunt, duo simul præsidia
Placentinæ cohortis & manipulorum
secun-

Liv. lib. 47.
Luc. Annæ.
lib. 2. c. 10.
Pallad.
Henr. lib. 3.
Salian. ad
hunc an.
Sigon. de
antiq. Jure
Ital. lib. 1.
cap. 7.

secundæ legionis aggrediuntur. Nebula matutina texerat incœptum, qua dilabente ad primum teporem solis perlucens jam aliquid, incertâ tamen lux speciem multiplicem reddens, multò majorem Romanis, quàm erat hostium aciem ostendit, quâ territi vtriusq; stationis milites ingenti tumultu in castra confugerunt: clamor in portis & concursatio in obscuro incidentium aliorum in alios, incertum fecerat an hostis intravallū esset. Una vox audiebatur ad mare vocantium; id fortè temerè ab vno pronuntiatum, ab aliis mox exceptum totis personabat castris. Decurrunt ad mare omnes, & ipse Consul frustra fugientes revocare conatus. Unus remansit M. Licinius Strabo Tribunus militum tertie legionis, cum tribus signis ab legione sua relictus: hunc Istri impetu facto instructentem & adhortantem suos in Prætorio oppresserunt. Multis cæsis, dejecto prætorio direptis quæ ibi fuerunt ad quæstorium forum pervenerunt Istri: ibi cum omnium rerum paratam copiam invenissent Regulus accubans epulari cœpit. Mox idem cæteri ejus exemplo. Romani interea ad mare navigia complent. Nautæ veriti ne compleantur navigia alij turbæ obsistunt, alij ab littore naves subducunt; & erat profligatus Romanus exercitus, si nostri victoriâ vti scivissent, ac prosequi cæpta. Sed vbi Romanis nuntiatum est Istros epulis & vino indulgere, revocata legio tertia ad opprimendum Gallorum præsidium venit, & simul ex omnibus locis ad castra recipienda redire cæptum. Ferunt citati signa, nec signiferos armati morantur, transcendunt vallum, castra ingrediuntur. Istri, qui parcius biberant ad arma concurrentes partim trucidantur, partim in fugam se conijciunt, Æpulo Rex temulentus ex convivio raptim à suis in eqvum impositus vitam in salvo reposuit: cæteris cum vinolentia & somno mors continuata. Ad octo millia tunc Istrorum & Gallorum nostratium

A. sunt cæsa, captus nemo, quia ira & indignatio immemores prædæ fecit: ex Romanis ducenti triginta septem perierunt, vt Livius habet. Rumor de captis Romanorum castris priusquam reciperentur perlatus Aquilejam, inde Romam, omnia terrore ac tumultu complevit: submissus ideò alter Consul cum copiis. Istri interim in suis castris collecti novisq; mox copiis instructi, cum alterius Consulis adventum intellexissent, passim in civitates dilapsi sunt: Consules plus tentare veriti Aquilejam in hyberna cum Legionibus concesserunt. In hac rei gestæ inter Istros & Romanos narratione variant authores Liviumque non æquè omnes intelligunt.

B. Palladius Carmelum Regulum Gallorum pro Romanis pugnasse putat, cum tamen colligere potuisset ex Livij contextu, quod Romani exuti castris, & reduces ad præsidium Gallorum opprimendum contenderint; fuerunt igitur hostes Romanorum & focij ac commilitones Istrorum, collecti ex Japydia & Pañonia vicinis, vti rectè observavit Megiserus. Hunc Carmelum Pallad. Cornelium appellat, Lazius verò Catimelū, & ab hoc deducere vult nobilem in Carniolia familiam Dominorū de Chatzenstein. Præterea idem Palladius Cornelium Regulum Gallorum à Consule missum narrat, vt Sontio transmissio per iuga Carfi signa inferret, quod vndè habeat, non equidem invenio, sed divinatione usum fuisse existimo. Ex Carso quidem deduxerit Carmelus militem cum Japydibus permixti habitarent Galli, & ferè omnes essent nationes Gallicæ; non tamen pro Romanis bellum gesserit, nec procul à Timavi ripis castra locaverit, cum Livius dissertè asserat: *ab eadem regione vbi scilicet Romani castra locaverant, mille ferè passuum castra erant Gallorum.* Salianus existimat Carmelum fuisse regulum Istrorum ac proinde vnum & eundem cum Æpulone, vnde miratur quod Istrorum octo millia sint

M cæsa,

Megiser. l. 2. c.
11 Laz. lib.
6 Migrat.
pag. 198.

cæsa, cum Carmelus non habuerit nisi tria millia. Sed imprimis Livius dicit *tria millia aut amplius*, numero non planè definito: Deinde Carmelus fuit, Regulus Gallorum, qui castra opposuit Romanis, cum Istri post collem occulti confedissent, & eorum Rex ab eodem Livio Æpulo nominatur. Fateor quidem & mihi prima fronte Livium legenti visum, quod Livius Istros etiam gentem Gallicam putaverit, eosq; modò Istros modò Gallos vocaverit, & quem primo dixit Carmelum Regulum, ei postea nomen indiderit Æpulonem vel Epulonem, propter epulas quibus victoriam sibi passus est elabi: sed accuratiùs legenti textum Livij, manifestum evadit Istros à Gallis discerni, & Gallis Carmelum, Istri Æpulonem, quem Florus vel L. Annæus Apulonem vocat, dominatum.

ANNUS MUNDI 3877.

ANTE CHRISTUM 176.

URBIS CONDITÆ AN. 576.

ÆMONÆ CONDITÆ AN. 1047.

Liv. l. 41.

Romæ Comitia habita quibus creati Coss. C. Claudius Pulcher, & Tib. Sempronius Gracchus fortiti sunt Provincias. Claudio Istria obvenit, Sempronio Sardinia. In Sardiniam duæ legiones scribi iussæ, quina millia in singulas, & duceni pedites, triceni equites: & duodecim millia peditum sociorum ac Latini nominis, & sexcenti equites, & decem quinquereemes, si deducere ex navalibus vellet. Tantundem peditum, equitumq; in Istriam decretum. Interea Ex-Consules M. Junius, & A. Manlius cum Aquileiæ hybernassent, principio veris in fines Istrorum exercitum introduxerunt, vbi cum effusè popularentur, nec id sine Japydum intermediorum damnis esse poterat, dolor magis & indignatio diripi res suas cernentes Istros, quam spes resistendi duobus exercitibus, excivit in campum; cōcursu ex omnibus populis juventutis facto, repentinus & tumultuarius exerci-

tus, acriùs primo impetu, quàm perseverantius pugnavit. Quatuor millia iterum in acie cæsa, cæteri ad civitates difugerunt. Inde Legati primum ad pacem petendam in castra Romana, deinde obsides, qui petebantur, missi sunt. Neq; tamen pax Istri fuit, adeò Romanos triumphii gloria id temporis titillabat, vt bella ex bellis sererent, & viderentur egisse pro patria, quod agebant pro sui ostentatione. Claudius Consul sibi decedere arbitratus, quod proconsules adversus Istros feliciter egissent advolavit, minatus Proconsulibus catenas ni imperio decederent, nihil egit; quod solitas cæremonias in exitu Romæ minus observasset. Interea datâ an quæsitâ causâ, incertum est, dum Consul novus Romam repetit, vt legitimus ad exercitum redeat, Proconsul Manlius Istrorum oppidis exercitum admovet; Nefactium obsidione cingit (hodie Castel novo) quo Regem Istrorū migrasse cognoverat: sed quam optabat gloriolâ revolanti Claudio Consuli dimittere debuit. Hic protinus veteri exercitu cum suis Ducibus abscedere iussis, cū legionibus novis obsidionem continuat, vineas struere molitur, amnem præterlabentē (Arsia est) multorum dierum opere exceptū novo alveo avertit. Ea res nostros Istros *miraculo terruit abscissæ aquæ* (Livii sunt verba) *ne tum quidem memores pacis in cædē conjugū ac liberorum versi, etiã vt spectaculo hostiū tam fædum facinus esset, palâ in muris trucidatos præcipitabāt.* Hoc in laudē suorum Romanorum, quorum gratiæ scribebat, Livius iuservit, oblitus præmissæ narrationis. Quî enim Istri pacis obliviscerentur, qui eam paulò antè petierant & datis obsidibus firmarant? Consultius visū igitur est in illa fidei veræ ignoratione, se suosq; facili lethi genere extinguere, quàm inexhaustæ Romanorum ambitioni reservare. Transgressis jam murum Romanis puero- rum juxta, & fæminarum complo- ratione auditâ Æpulo Rex trajecit fer-

Cluv. Ital.
Ant. lib. 1.
c. 21.

ferro pectus, ne vivus caperetur, cæteri primores capti aut occisi. Duo deinde oppida Mutila, & Favèria vi capta, & deleta. *Præda ut in gente inopi spe major fuit, ait rursus Livius, an gentis vicinæ odio, ut ferè fit, an gratiâ eorum quibus serviebat. Inopem dicit gentem, apud quam tamen fatetur obtentam prædâ spe majorem: & de cujus regione Theodoricus Rex Gothorum Italiæ Dominus apud Cassiodorum post tria secula dicit: Regio supra sinum maris Jonij constituta, olivis resecta, segetibus ornata, vite copiosa: ubi quasi tribus vberibus egregiâ largitate largitis, omnis fructus optabili fecunditate profluit; urbis regiæ cella penaria, voluptuosa nimis & delitiosa digressio.* Oppida capta Mutilam & Favèriam, quibus locis fuerint, ignorare se scribit Cluverius, opinatur tamen oppidum *Medolino* Mutilæ; *Pæara* verò in mediterraneis apud Arsiam Favèriæ vocabula etiam nunc ferre. Quia verò eodè cum Istri bello impliciti fuerunt Japydes, quid si pro Mutila legendum foret *Metulum* vrbs primaria Japidæ, vicina Istriæ & contermina? Porrò ne quid ambitionis crudelitati deesset, *quinque millia capitum, sexcenta triginta duo sub corona venierunt. Authores belli virgis cæsi, & securi percussi.* Certè Manlio & Junio parcitum est, & Claudio insuper decretus triumphus, quasi gloriæ pars esset de innocentium cæde & ignominia lætari. Tractos in servitum tunc nostros Japydes manifestus est, utpotè sine quibus nec bellare ad Timavum Istri poterant, nec debellari in patria; ad hos per illos transitus erat. Cæterum eâ occasione tam Istros qui remanserant, quàm Japydes nostros in Romanorum fidem (sed desultoriam) receptos, licet authores fileant, narrandorum deinceps contextus suadet.

ANNUS MUNDI 3879.

ANTE CHRISTUM 174.

URBIS CONDITÆ an. 578.

ÆMONÆ CONDITÆ an. 1049.

Nisi lacunæ essent in Livio, constaret nobis quid hoc anno Romanos inter & nostrates Istros eisque seu mixtos seu contiguos Japydes ac Gallos contigerit. Id solùm annotatum est, anni principio tumultum Gallicum Ligusticumque exortum, qui à Consulibus haud magno conatu brevi oppressus est. In vicinia Japydiæ aliud etiam exarsit bellum, miscente Perseo inter Dardanos Bastarnasque certamina, & legati qui missi ad res visendas in Macedoniam erant, jam reverterant Romam, renuntiaverantque bellum in Dardania esse; simul venerant & ab Rege Perseo (filius hic erat Philippi II. Macedonis) Oratores, qui purgarent, nec accitos ab eo Bastarnas, nec authore eo quicquam facere. Dardani cum Bastarnas non modo non excedere finibus suis quod speraverant, sed graviores indies fieri cernerent, subnixos Thracum accolarum & Scordiscorum auxiliis; audendum aliquid vel temerè rati, omnes undique armati ad oppidum quod proximum castris Bastarnarum erat, conveniunt. Hiems erat, & id anni tempus elegerant, ut Thracæ Scordiscique in fines suos abirent. Ubi ergò audierunt solos jam Bastarnas esse, bifariam dividunt copias, pars recto itinere laceffit hostes, pars ab tergo aggreditur: sed Bastarnis rem suam strenuè agentibus victi Dardani recesserunt. Eutropius non victos Dardanos, sed Bastarnas in transitu Danubij merfos narrat. Nam tunc fortè Danubius crassâ glacie superstratus pedestrem facile transitum patiebatur. Itaque cum improvidè toto simul agmine ingens multitudo hominum ac jumentorum transfret, enormitate ponderis ruptum gelu in crustas dissiliit, univèrsamque agmen mediis gurgitibus hausit: pauci per vtramque ripam vix, concisis per glaciæ fragmenta visceribus, evaserunt. Bastarnæ quinam fuerint docet Plinius, qui tradit fuisse

Liv. lib. 41.

Eutrop. lib. 4. num. 6.

Plin. l. 4. c. 14

conterminos Dacis, trans Istrum videlicet colentes, ejusdem gentis, linguæ, & morum cum Scordiscis, vti ipse Livius observat narrans de Philippo Macedone, quod sollicitaverit Bastarnas, vt Istro traſgresso Dardanos delerent. Duplex inquit, *indè erat commodum futurum, si & Dardani gens semper infestissima Macedonia tolleretur; & Bastarnæ relictis in Dardania conjugibus liberisque ad populandam Italiam possent mitti. Per Scordiscos iter esse ad mare Adriaticum, Italiamque, facillè Bastarnis Scordiscos iter daturus, nec enim aut lingua aut moribus æquales abhorrere.* Porro Scordisci fuerunt Celtæ qui Delphos profecti, & inde spoliato templo reversi in Pannonia inferiore confederunt, teste Justinio: *Galli bello adversus Delphos infeliciter gesto, amisso Brenno Duce pars in Asiam, pars in Thraciam extorres fugerunt. Indè per eadem vestigia qua venerant, antiquam patriam repetivere. Ex his manus quadam in confluyente Danubij, & Sabi consedit Scordiscosque se appellari voluit: Haud dubiè ad priora fuerint suæ habitationis loca reversi hi Scordisci, cum Appianus eos hoc nomine appellet ante Delphicam expeditionem. Itaque eorum sedes fuerit, vbi nunc Belgradum seu Alba Græca ad confluentes Savi & Danubij. Verùm latius eos occidentem versus habitasse licet colligere, quod Japydibus nostris contermini fuerint, vt alibi dictum.*

ANNUS MUNDI 3882.

ANTE CHRISTUM 171.

URBIS CONDITÆ AN. 581.

ÆMONÆ CONDITÆ AN. 1052.

Liv. lib. 42

Gentium Illyriorum Regem suspectum Romanis fecerunt Iffenses Legati, questi fines suos secundò populatum: simul nuntiantes vno animo vivere Macedonum atque Illyriorum Regem, communi consilio parare Romanis bellum: & specie Legatorum Illyrios speculatores Romæ

Aesse, Perseo authore missos, vt quid ageretur scirent. Illyrij vocati in senatum: qui cum Legatos se esse missos ab Rege dicerent ad purganda crimina, si qua de Rege Iffenses deferrent; quæsitum cur non adissent Magistratum, vt loca lautiora acciperent; scireturq; venisse eos & super qua re venissent. Hæſitantibus in responso, vt curia excederent dictum: responsum tanquam Legatis, vt qui adire senatum non postulassent, dari non placuit. Missi ad Regem Legati, qui fociis illatam injuriam quererentur.

ANNUS MUNDI 3883.

ANTE CHRISTUM 170.

URBIS CONDITÆ AN. 582.

ÆMONÆ CONDITÆ AN. 1053.

Illyrici limites hac tempeſtate jam ad ipsas Danubij ripas extensos fuisset, & ipsum quoque Noricum mediterraneum Pannoniamque complexos Livij ostendit narratio. Legatus in Illyricum à Consule Licinio missus, opulenta duo oppida vi atque armis coëgit in deditionem, omniaque ijs sua concessit, vt opinione clementiæ eos, qui Carnuntem munitam urbem incolebant, alliceret. Postquàm nec vt dederent se compellere, neque capere obsidendo poterat; ne duabus oppugnationibus nequidquam fatigatus miles esset, quam prius intactã urbem reliquerat, diripuit. Alter Consul C. Cassius nec in Gallia Cisalpina, quam sortitus erat, memorabile quicquàm gessit: & per Illyricum ducere legiones in Macedoniam vano incepto est conatus. Fortè per eos dies Aquilejensium Legati Romanam venerant, querentes coloniam suam novam & infirmam, necdùm satis munitam inter infestas nationes Istrorum & Illyriorum esse: cum peterent vt senatus curæ haberet, quomodo ea colonia munitur; interrogati, velentnè eam rem C. Cassio Consuli mandari, responderunt: Cassium Aquilejam

Liv. lib. 43.

jam indicto exercitu, profectum per Illyricum in Macedoniam esse. Ea res primo incredibilis visa, & pro se quisque credere Carnis forsitan aut Istris bellum illatum. Tum Aquilejenses, nihil se ultra scire, nec audere affirmare, quàm triginta dierum frumentum militi datum, & Duces, qui ex Italia itinera in Macedoniam noissent, conquisitos, adductosque. Proxima tunc fuerit in Macedoniam via per Carnos & Japydes, quia vtrique populi mox se se lætos sunt questi. Enimverò Senatus vbi hæc inaudit, indignari, tantum Consulem ausum, vt suam Provinciam relinqueret, in alienam transfret, exercitum novo periculoso itinere inter exteris gentes ducere. Missi illic Legati, qui nullam in-
B. terpositam moram Cassium Consulem sequerentur, & denuntiarent, necui populo bellum inferret, nisi cum quo senatus gerendum censuerit. Metus de Consule & exercitu distulit eo tempore curam muniendæ Aquilejæ.

ANNUS MUNDI 3884.

ANTE CHRISTUM 169.

URBIS CONDITÆ AN. 583.

ÆMONÆ CONDITÆ AN. 1054.

Dum Cassius Consul priore anno in Macedoniam transfret, profectus Aquileja, per Carnos, Japydes, Istros, ceu populos jam Romanis amicos, hostili nihilominus more rapinis & incendiis grassatus est. Eam ob rem hoc anno Legati Cincibilis Regis Gallorum (Transalpinorum in Pannonia & Norico degentium) Romam missi. Ipse Regis frater in senatu verba fecit, questus Alpinorum populorum, sociorum suorum agros C. Cassium depopulatum esse, & inde multa millia hominum in servitutem abripuisse. Sub idem tempus Carnorum, Istrorumque & Japydum Legati venerunt, Duces sibi ab Cassio Consule primum imperatos, qui in Macedoniam ducenti exercitum

iter monstrarent, pacatum ab se tanquam ad aliud bellum gerendum abisse: inde ex] medio regressum itinere hostiliter peragrassæ fines suos: passim rapinas & incendia facta: nec se ad id temporis scire, propter quam causam Consuli pro hostibus fuerint. Et Regulo Gallorum absenti, & his populis responsum est, senatum ea, quæ facta querantur, neque scisse futura, neque si sint facta probare. Sed indictam causam damnari absentem Consularem virum injurium esse, cum is Reip. causa absit (nam priore anno consul, tunc Tribunus militum erat) vbi ex Macedonia redisset, senatum daturum operam, vt satisfiat. Nec responderi iis gentibus tantum placuit, sed Legatos mitti: duos ad Cincibilem Regem trans Alpes; ad Carnos, Istros, & Japydes singulos, qui indicarent quæ Patrum sententia esset. Munera mitti Legatis ex binis millibus æris censuerunt: Duobus fratribus Regulis hæc præcipua, torques duo ex quinque pondo auri facti, & vasa argentea quinque ex viginti pondo, & duo equi phalerati cum agasonibus, & equestria arma, ac sagula. Comitibus eorum vestimenta, liberis, servisque. Hæc missa, illa petentibus data, vt denorum equorum iis commercium esset, educendique ex Italia potestas fieret. Regem Cincibelem putat Lazius dictum, quasi *Günzibel / male favens*: & ait fuisse illorum Gallorum Regulum, qui proximi
C. Italix in Albio monte colebant, atque adeo fuisset Rex nostrorum Japidum. Ego verò in proxima Pannonia, vel Norico eum sedisse existimo, cum Livius scribat fratrem ejus Romam missum, & ibi questum de sociorum injuriis: socij proinde fuerint Japides, quin & Istri & Carni (qui singuli peculiare Legatos eodem tempore Romam miserant) Regis Cincibelis, non subditi.

ANNUS MUNDI 3885.

ANTE CHRISTUM 168.

URBIS CONDITÆ AN. 584.

ÆMONÆ CONDITÆ AN. 1055.

M 3

Quos

Henr. Pal-
lad. rer. Foro
Jul. lib. 3.

Quos Anno superiore Legatos Româ missos scripsimus ad Regem Gallorum Transalpino-
rum, ad Carnos, Japydes, & Istros: pruden-
ter conjecturat Palladius, operam dedisse, ut illorum populorum res in in-
tegrum restituerentur, ut in servitutem abducti libertatem acquirerent; quin eadem operâ nova colonia Aquileja muris ac propugnaculis pro ejus temporis facultate cincta, muniretur. Licet enim harum rerum nullam mentionem authores fecerint, dedit tamen ansam divinandi Livius, qui populorum querelas, & ad eos missas Legationes, postulata etiam à senatu Romano novæ coloniae munimenta, & quasi promissa, sed dilata recensuit. Putat idem Palladius, & nondum illi obviam eo, pontem quadrati lapidis supra Sontium amnem, hoc tempore fabricatum, qui vno fornice vtramque ripam complexus, non longè ab Aquileja, commodum in Japydiam, atque in Monfalconensem agrum transitum faciebat. Hujus vestigia propè Gradiscam adhuc conspiciuntur: Mainiza nunc locus vocatur. Japydiam nostram in agrum Monfalconensem extensam non legi alibi, tametsi ad Timavum ejus limites agnoscam, sed modica est inter Monfalconem & Timavum distantia. Quoad res Macedonicas & Illyricas plura nobis suggerit hoc anno Livius. Perseus Macedoniae Rex principio hyemis egredi Macedoniae finibus non ausus, ne qua in regnum vacuum Romani irrumperent, sub tempus brumæ, cum insuperabiles ab Thessalia montes nivis altitudo facit, occasionem esse ratus frangendi finitimum spes animosq; ne quid averso se in Romanum bellum periculi subesset, cum à Thracia pacem Cotyis, ab Epiro Cephalus repentinâ defectione à Romanis præstarent, Dardanos recens domuisset bello, solum infestum esse Macedoniae latus, quod ab Illyrico pateret, cernens, neq; ipsis quietis Illyriis,

Liv. lib. 44.

A si domuisset proximos Illyriorum, Gentium quoq; Regem jam diu dubium in societatem perlici posse: cum decem millibus peditum & quingentis equitibus profectus Uscanam obsidione cinctam ad deditorem coëgit, liberè dimisso Romano præsidio sed exarmato, Illyrios & Uscanenses vendidit: Draudacum mox & Oeneum occupavit. Stuberam indè victor revertens ad Gentium Regem Illyridis occidentalioris, quæ nunc Liburnia est, Legatos mittit Pleuratum Illyrium exulantem apud se, & Aputeum Macedonem. Iis mandat, ut exponerent æstatis ejus hyemisque, acta adversus Romanos Dardanosque: adijcerent recentia in Illyrico hybernæ expeditionis gesta: hortarentur Gentium in amicitiam secum, & cum Macedonibus jungendam. Hi transgressi jugum Scordi montis per Illyrici solitudines, quas de industria populando Macedones fecerant, ne transitus facilis Dardanis in Illyricum, aut Macedoniae esset: Scodram labore ingenti tandem pervenerunt. Lissi (Dalmatiæ vrbs est) Rex Gentius erat. Eò acciti Legati mandata exponentes benignè auditi sunt. Qui responsum sine effectu tulerunt; voluntatem sibi non deesse ad bellandum cum Romanis; cæterum ad conandum id quod velit, pecuniam maximè deesse. Hæc Perseo relata tum maximè captivos ex Illyrico vendenti.

C. Extemplò iidem Legati addito Glau-
cia ex numero custodum corporis remittuntur, sine mentione pecuniæ, quâ vna Gentius impelli ad bellum poterat. Hæc hyeme gesta. Initio veris Q. Martius Consul in Macedonas exercitum deducit, Persea fugat. Interim Legati Transalpini ab Regulo Gallorum (Balanos ipsius traditur nomen, gentis ex qua fuerit non traditur) Romam venerunt pollicentes ad Macedonicum bellum auxilia. Gratia ab senatu actæ, mune-
raque missa, torquis aureus duo pondo, & pateræ aureæ quatuor pondo, eqvus phale-

phaleratus, armaque equeſtria. Regulum hunc in Pannonia ſuperiore, & fortè in Japydia noſtra ſediſſe, vel ex inde conijcere licet, quod nulli Galli quam noſtri vicinioreſ fuerint Macedoniæ, hiſ enim per Liburniam, & oram Dalmatiæ ad Macedonas patebat via, præſertim cùm id temporis Gentius Rex nondum à Romanis deſciviſſet.

ANNUS MUNDI 3886.

ANTE CHRISTUM 167.

URBIS CONDITÆ AN. 585.

ÆMONÆ CONDITÆ AN. 1056.

Liv. lib. 44.
Flor. l. 2. c.
12. & 13. Eutropius l. 4.
c. 6. & ſeq.

AD Macedonicum bellum magno apparatu inſtructus novus Conſul Æmilius proficiſcitur. Interea Perſeus poſtquam adventare Romanos, & ad eſſe diſcrimen ultimum animadvertit, non vltra differendum ratus, vt Gentium Illyriorum Regem ſibi adjungeret, quem jam antea tentarat, per Hippiam Legatum trecenta argenti talenta pacificatur, ita vt obſides vltra citroque darentur, & Pantaucum vnum ex fidiffimis ad ea perficienda mittit: Medeone Labeatidis terræ Pantaucus Regi Illyrio occurrit: ibi & juſjurandum ab Rege & obſides accepit. Miſſus & à Gentio eſt Legatus Olympio, qui juſjurandum à Perſeo obſideſque exigeret. Cum eodem ſunt miſſi qui pecuniam acciperent, & qui Rhodum Legati irent ad Rhodios in belli ſocietatem pertrahendos. Venientibus Illyriis, Perſeus ab Enipeo amne ex caſtris cum omni equitatu proſectus ad Diem occurrit. Ibi ea, quæ conveniant circumſuſo agmine equitum facta, quos ad eſſe foederi ſancitæ cum Gentio ſocietatis volebat Rex, aliquantum eam rem ratus animorum iis adjecturam, & obſides in conſpectu omnium dati acceptique, & Pellam ad theſauros Regis miſſis, qui pecuniam acciperent, qui Rhodum irent cum Illyriis Legatis Teſſaloniciæ conſcendere juſſi. Sed avari-

tia Perſei Gentium Regem alienavit. Nam cum CCC. talenta Pellæ miſſis à Gentio numeraffet, ſignare eos pecuniam paſſus eſt. Inde X. talenta ad Pantaucum miſſa, eaque præſentia Regi dari juſſit: reliquam pecuniam ſignatam Illyriorum ſigno, portantibus ſuis præcipit, parvis itineribus veherent, dein cum ad finem Macedoniæ ventum eſſet, ſubſiſterent ibi, ac nuntios ab ſe operirentur. Gentius exigua parte pecuniæ accepta, cùm aſſiduè à Pantauco ad laceſſendos hoſtili facto Romanos ſtimularetur, M. Perpennam, & L. Petilium Legatos, qui tum fortè ad eum venerant in cuſtodiam conjecit. Hoc audito Perſeus contraxiſſe eum neceſſitatem ratus bellandi cum Romanis, ad revocandum, qui pecuniam portabant, miſit, quæ res Gentio cauſam dedit paulò poſt iterum Romanæ fidei ſe credendi. Eadem avaritia Gallorum per Illyricum effuſorum ingens agmen ad belli ſocietatem oblatum, dimiſſum eſt. Veniebant decem millia equitum, par numerus peditum, & ipſorum jungentium curſum equis, & in vicem prolapſorum equitum vacuos capientium ad pugnam equos. Hi pacti erant; eques denos præſentes aureos, pedes quinos, mille Dux eorum. In Medica exercitus conſtiterat. Indè Antigonus expurpuratis Perſei eos deducturus erat, pollicens omnia per viam com meatui parata, dona allaturum ipſum Regem. De hiſ quidem ſe coram cognituros reſpondent, illud quod præſens pepigiſſent, interrogant, ecquid aurum, quod in ſingulos pedites equiteſque dividendum eſſet, ſecum adduxiſſet. Cum ad id nihil reſponderetur: Clondicus Regulus eorum, Abi renuntia ergò, inquit, Regi, niſi aurum obſideſque accipiant, niſi quàm indè Gallos veſtigium moturos. Hæc relata Regi cùm eſſent, advocato conſilio, cùm quid omnes ſuaſuri eſſent appareret: ipſe pecuniæ quàm regni melior cuſtos, inſtitit de perfidia & feri-

feritate Gallorum differere, ut avaritiæ suæ fucum illineret. Interea Romani Duces in Provinciam venerant. Consul Æmylius in Macedoniam, Anicius in Illyricum adversus Gentium. Hic patre Pleurato, matre Eurydica genitus, fratres duos, Platorum utroque parente: Caravantium matre eadem natum habuit. Hoc propter ignobilitatem paternam minus suspecto, Platorum occidit, quo tutius regnaret. Incitatus ergo ad bellum Macedonicum, copias suas Lissum contraxit, quindecim millia armatorum fuerunt. Inde fratrem in Caviorum gentem, vi aut terrore subigendam cum mille peditibus, & quinquaginta equitibus misit, ipse ad Bassaniam urbem quinque milia ab Lisso ducit, quæ urbs Romanis sociâ obsidionem deditio prætulit. Caravantium in Caviis Durnium oppidum admisit, Caravantis altera urbs exclusit. Quid deinceps actum, cum Livius mutilus sit, non constat. Ad Scodram demum ventum est, regni totius arcem, & Labeatium gentis munitissimam urbem. Ea dum ab Anicio obsidetur portâ egressi oppidani prælium loco æquo, majore animo commiserunt, quam sustinuerunt. Pulsi enim & fugâ conglobati cum ducenti amplius in ipsis faucibus portæ cecidissent, tantum intulerunt terrorem, ut Oratores extemplò ad Prætorem mitteret Gentius Teuticum, & Bellum, principes gentis, per quos inducias peteret, ut deliberare de statu suo posset. Triduo dato, navem conscendit, & flumine Barbana navigat in lacum Labeaticum, velut secretum locum petens ad consultandum, sed ut apparuit, falsâ spe excitus adventantis Caravantij fratris cum multis millibus bellatorum. Tertio die rumore evanescente navem eandem secundo amni Scodram demisit: præmissisq; nuntiis, ut sibi appellandi Prætoris potestas fieret, copiâ factâ, in castra venit. Et principium Orationis ab

accusatione erroris sui orsus, postremò ad preces lachrymasque effusus, genibus Prætoris accidens in potestatem sese dedit. Primum bonum animum habere iussus, ad cænam etiam invitatus, ad urbem rediit, deinde in custodiam C. Cassio Tribuno militum traditus. Missi deinde, qui Medeone Labeatium urbe cognatos Regis comprehenderent Etlevam uxorem cum filiis duobus, Scerdilio, Pleuratoque & Caravantium fratrem. Anicius bello Illyrico intra dies triginta perfecto, nuntium victoriæ Romam misit, & post dies paucos Gentium Regem ipsum, cum parente, conjugè ac liberis, ac fratre, aliisque Principibus Illyriorum. Sic regnum Illyricum extinctum, & à Romanis in Provinciam redactum fuit, quin & Macedonicum. Nam Consul Æmylius per velitationes attritum Persea tandem ingenti prælio victum, & profugum, cum in Samothraciam abeuntem persequitur, ibi desertum ab omnibus in potestatem Cn. Octavij Prætoris venisse intelligit, quem paulò post ad se in castra deductum honore, quo licuit victum, affecit, Triumpho reservandum. Illud hic adnotare libet, Salianum, cum legisset apud Livium Gallos, qui Perseo Regi suppetias offerebant, *retro ad Istrum perpopulatos Thraciam, quâ vicina erat viâ, rediisse*, suspicatum Gallos hos ex Istria profectos, quo sanè per Thraciam redire necesse non fuit; verùm ad Istrum reversos unde venerant, id solùm sonat, quòd accolæ fuerint Danubij. Gravius delinquit Megiserus, qui de Gentio omnia alia narrat, & quidem familia fortunæ Æpulonis Regis Istriæ, unde etiam addit hoc bello Illyrico Istriam in Provinciam redactam, & Romano Imperio additam, quod neque Livius, neque Florus, neque Eutropius, quos allegat scripserunt. Licet enim eo tempore Istria fuerit adnumerata Illyrico, uti & aliæ vicinæ Provinciæ plures, habuit tamen illa suos Reges, quibus parebat,

bat, vti ex superioribus apertè constat, qui abstinerint à bello Macedonico, velut focii populi Romani. Illyricum quod obtemperabat Gentio fuit potissimum intrà Naronem fluvium, & Ceraunios montes ac partem Dalmatiæ & Liburniæ quantum ex Livio colligitur; Lissum, vel vt Lucius putat reponendū Iffa, Scodra, & cæteræ vrbes, eo bello nominatæ in eo tractu fuerunt.

ANNUS MUNDI 3887.

ANTE CHRISTUM 166.

URBIS CONDITÆ AN. 586.

ÆMONÆ CONDITÆ AN. 1057.

IN Illyrico L. Anicius Rege Gentio in potestatem redacto, Scodræ aliisque vrbibus præsidio imposito, cum reliquo exercitu in Epirum profectus est: quâ pacatâ redux Scodræ, quo quinque Legati Româ venerant, evocatis ex tota Provincia Principibus conventum habuit. Ibi pro tribunali pronuntiavit de sententia Consilii, Senatû, populumque Romanum, Illyrios esse liberos jubere, præsidium ex omnibus oppidis, arcibus & castellis sese deducturum: non solum liberos sed etiam immunes fore Issenses & Taulantios, aliosque, qui incolumi Gentio ad Romanos defecissent; cæteris Illyriis vectigal dimidium ejus, quod Regi pendissent, imponi. Idem in Macedonia Æmylius egit, qui tamen deinde secretis (vt tradit Appianus) à senatu instructus monitis in septuaginta vrbes Illyrici, quæ Gentio parverant militem divisit, eâdem omnibus Ducibus constitutâ die, quâ ad auroram quisque eorum oppidanis per Præconem ediceret intrâ tres horas pecuniam omnem in forum deferendam, eamque delatam, & reliqua etiam omnia diriperent. Sic vnâ horâ septuaginta spoliatæ sunt vrbes. Livius hoc de Epiri vrbibus, quod Persea juvissent, recenset, aitque tantam fuisse prædam, vt in equitem

A. CCCC. denarij, peditibus CC. dividerentur, centum quinquaginta millia capitum humanorum abducerentur. Muri deinde direptarum vrbiû dirutifunt. Dum hæc in Macedonia & Illyrico geruntur, in Asia Gallos inter seu Galatas & Regem Eumenem variò Marte pugnatur, ac induciis factis vtrinque ad hyberna disceditur. Romani Solovettium Ducem Galatarum Synnadis allocuti, & Attalus cum eis profectus: sed castra Gallorum eum intrare non placuit, ne animi ex disceptatione irritarentur. P. Licinius cum regulo Gallorum est locutus, retulitque ferociorem eum deprecando factum, vt mirum videri posset, inter opulentos Reges Antiochum Ptolomæumque tantum Legatorum Romanorum verba valuisse, vt extemplò pacem facerent, apud Galatas nullius momenti fuisse. Romæ eodem hoc anno triumphant L. Anicius de Gentio, Æmylius Paulus de Perseo, quæ fusè profequitur Livius. Illud sive humanæ vicissitudini, sive divinæ justitiæ adscribas, quod Paullus triumphans de duobus Regibus, duos in ipso triumpho, & solos filios perdiderit. *Nam duobus è filiis (Livium legis) quos solos nominis, sacrorum, familiaeque hæredes retinuerat: minor ferme duodecim annos natus quinq; diebus ante triumphum, major quatuordecim annorum triduo post triumphum decessit. Sanè non Perseus tantum per illos dies documentum humanorum casuum fuit, in catenis ante currum victoris Ducis per urbem hostium ductus, sed etiam victor Paullus auro purpuraque fulgens.*

ANNUS MUNDI 3888.

ANTE CHRISTUM 165.

URBIS CONDITÆ AN. 587.

ÆMONÆ CONDITÆ AN. 1058.

M. Claudius Marcellus & C. Sulpitius Gallus suo Consultu hûc ann. signant; Marcello Gallia, Gallo

Luc. in Dalmat.

Liv. lib. 45. Diodor. Sic. lib. 31.

Liv. lib. 45.

Appian. in Illyr.

Flor. Epit. lib. 46.

Salian. hic.
Liv. lib. 45.
Plin.

Gallo Liguria Provincia obtigit, vt est apud Livij Epitomatores: Salianus oppositum scripsit: vterq; Consul prospere pugnavit: Marcellus Alpinos Gallos, Sulpitius Ligures subegit. Hic ille est Sulpitius, qui Astrologiæ gnarus sub Æmylio Paulo contra Perseum dimicante Tribunum militum egit, & magnâ solitudine Romanum exercitum liberavit. Pridie enim quàm Perseus superatus est, in concionem ab Imperatore productus prædixit, quâ hora die sequenti futura esset Eclipsis, effecitque ne Romanus miles animos desponderet, cum viceversa Persei exercitus malum inde sibi omen desumpserit, quod ad victoriam Romanis profuit. Alpini Galli, quos Marcellus subegit, qui nam fuerint, cum plures Alpes à Gallis iam tunc infestæ fuerint, divinandum est. An fortè nupero bello Illyrico se miscuerunt Iuliarum Alpium inquilini nostrates, & ob eam rem hostes iudicati, vel potius inexhausta dominandi libido Romanos impulit vt subactâ Macedoniâ, vel Illyride maritimâ, reliquam etiam Illyrici partem affectarent?

ANNUS MUNDI 3897.
ANTE CHRISTUM 156.
URBIS CONDITÆ AN. 596.
ÆMONÆ CONDITÆ AN. 1067.

Polyb. in
fragm. n. 124
Luc. Dalm.
lib. 1.

Dalmatæ in proximos Illyrios populi Romani socios incursum tentant, eorum agros & vrbes infestant. Id cum per Legatos nuntiatum esset Romanis, senatus misit C. Fannium ad res Illyrici visendas, & maximè Dalmatarum. Hic populus quamdiu vixit Pleuratus, ei paruit; post obitum verò illius cum in regno Gentius successisset, ab illo defecerant Dalmatæ, & bella cum finitimis gerebant, vicinorumque populos imperio suo subiiciebant; vt nonnulli tributa pendere cogerentur; tributum autem erat pecus & frumentum. Hæc Fannio legationis causa. Is ex

A. Illyrico reversus renuntiavit senatui, tantum ab eo abesse Dalmatas, vt satisfacere iis, quos continuis injuriis lacefferant, vilo modo vellent, vt ne aures quidem sibi præbere sustinuisent; quod dicerent nihil sibi commune esse cum Romanis. Addebat Fannius, neq; hospitij factam sibi copiam, neq; aliud quidquàm eorum, quæ necessaria sunt fuisse præbitum: quin etiam equos per vim sibi ademptos, quos habebat ex alia vrbe; sed & manus sibi inferre eos voluisse, nisi tempore cedens cum magno silentio eorum finibus excessisset. Hæc fortè melius in sequentem annum retuleris, ob ea quæ deinceps dicturi sumus.

ANNUS MUNDI 3898.
ANTE CHRISTUM 155.
URBIS CONDITÆ AN. 597.
ÆMONÆ CONDITÆ AN. 1068.

Reversus ex Illyrico C. Fannius cum Senatum edocuisset, quæ proterviâ in pop. Rom. Dalmatæ essent; effecit, vt non tam propter sævum Dalmatarum ingeniû, quàm quod opportunum videretur esse tempus belli cum illa gente gerendi, decerneretur bellum Dalmaticum. Neglexerant, ex quo Demetrius Pharius expulsus fuit, Romani illam partem Illyrici, quæ ad Adriaticum mare inclinat; torpebant longâ pace Italici populi; agebatur jam duodecimus annus à bello cum Perseo & Macedonibus gestò; placuit ergò excitare militarem spiritum suorum, & terrorem Illyricis iniicere, ad lubentius obtemperandum. Missus C. Martius Figulus Consul. Hunc Dalmatæ primo adventu metantem castra, cæso præsidio in plano pepulere, non intermisso ad Fluvium vsq; Naronem receptu. Figulus domum reversus aggredi constituit, improvisum hostibus impetum suum futurum nequicquam sperans; ostenditq; populares vndique excipiendi sui causâ ex civitatibus confluisse. Nec tamen

Polyb. in
fragm.

Flor. Epit.
lib. 47.
Appian. in
Illyr.

tamen eo minus in suscepto consilio perseveravit, sed in urbem Delminium (vnde Delmatearum mox Dalmatarum nomen prefectum est) hostes recedere coëgit. Cum autem neq; oppugnatio successura videretur contra oppidum egregiè munitum; & operum machinarumq; labor propter altitudinem montium inutilis futurus esset, adjecit animum ad alias vrbes, ob concursum in Delminium penè vacuas aggrediendas; quibus facilè in potestatem redactis, reversus Delminium sudes bicubitales, pice & sulphure stuppaq; circumdatas, in oppidum catapultis jaculari cæpit, quæ ipso impetu succensæ, & facum instar ardentium volitantes, quidquid attingere, inflammabant; plurimaq; novo illo teli genere apud obfessos exusta corruptaq; sunt. Isque fuit finis belli à Figulo gesti. putat Lucius tunc penitus exustam urbem, & occupatam, sed hoc ex Appiano colligi non potest, quin potius defensam ex eo patet, quod Romani necesse haberint anno sequenti bellum in Dalmatas continuandi. Figuli Consulis jam memorati filius fuit Figulus, de quo illud apud Valerium Maximum notatu dignum. Is Consulatus repulsæ dolore accensus, eo quidem magis, quod illum bis patri suo datum meminerat, cum ad eum postero comitorum die multi consulendi causa venissent, omnes dimisit, præfatus: an vos consulere scitis, consulem facere nescitis? Dictum graviter, & meritò; sed aliquantò melius non dictum. Nam quis populo Romano irasci sapienter potest? Sic Valerius, adulatoriâ suis Romanis oratione, sed tamen sapienti, quia licet justè sæpè irasci posses, si tamen sine dispendio tuo non possis, sapienter non irasceris.

ANNUS MUNDI 3899.
ANTE CHRISTUM 154.
URBIS CONDITÆ AN. 598.
ÆMONÆ CONDITÆ AN. 1069.

AB utroque hujus anni Consule res benè in bello gestæ sunt, & ab utroq; triumphatum, uti ex fragmentis Capitolinis notat Sigonius. Sit dubium de quibus populis triumpharit Marcellus, de Scipione certè ex superiore anno constat eum de Dalmatis triumphasse, & innuit Florus, cum de Dalmatis ait: *eandemque gentem Cornelius Nasica Consul domuit.* Aurelius Victor similiter: Pub: Scipio Nasica Censor statuas; quas sibi quisque per ambitionem in foro ponebat, sustulit. Consul Delminium urbem Dalmatarum expugnavit; Imperatoris nomen à militibus, & ab senatu triumphum oblatum recusavit: eloquentiâ primus, juris scientiâ consultissimus, ingenio sapientissimus, vnde vulgò *Corculum* dictus. Quis hoc tempore animus fuerit nostris Japydibus & Istriis, facilè est divinare. Cernebant Romanâ potentiam sensim in omnem partem diffundi, & longè latè que proferre limites; jamque Illyrici maximam partem subjugatam; sibi proindè vel diuturnum bellum, vel servitium imminere prudenter poterant intelligere, cum socij manere non possent.

ANNUS MUNDI 3911.
ANTE CHRISTUM 142.
URBIS CONDITÆ AN. 610.
ÆMONÆ CONDITÆ AN. 1081.

Senatus Romanus novum de firmanda Provincia Veneta consiliū inivit, ut conjecturat Palladius. Transmarinitum ultus, & crebræ vicinorum populorum excursiones scrupulum injecerant, ne aliquando Illyrici Veneto littore potiti infesta adversus Remp. arma commodius admoverent. Igitur quando Aquileja fatis ad tuendam oram inter Tiliavemptum & Timaum non crederetur, vltra hæc flumina vtrinque nova oppida excitant. Primum quidem Tergeste ad Istriæ finem, vnde non pridem Istros removerant; quod

Sigon de Jnr. Ital. Flor Epit. lib. 47.

Aur. vi& de vir. Illust. num. 44.

Henr. Pal. lad rer Forojul. l. 3.

Luc. l. c. l.

Valer. Max. l. 3. c. 3.

quod mari incumbens latè ab ea parte viam tuetur. Concordiam dextro latere ad vtramq; ripam Leminis, & hanc haud procul tunc ab Adriatico, quæ modo aquis exsiccatis plusquam quatuor millia passuum ab eo distat. Ità quidem censet Palladius nullo antiquo dato fidejussore. Ego verò credibilius putem Tergestum non esse deductam coloniam antequam Japydiam Sempronius Tuditanus debellaret: quia licet cum Istris Romani pugnaverint, non tamen eos è suis sedibus expulerunt, Cluverius de origine Tergesti nihil certi constare ait, & meritò: quia priusquam Romanorum colonia fieret, nomen habuit pagi Carnici, vti ex Strabone diximus in Apparatu. Primus coloniam Romanam dixit Appianus Strabone posterior. Temporibus Artemidori, qui teste Vossio, post hæc tempora quadraginta annis floruit, Tergeste solum adhuc vicus erat. Unde Stephanus Byzantius Artemidorum allegans ait: *Artemidorus in Epitoma undecim librorum Tergestum id vocat, vicumque agnoscit.* Quod si ergò his annis jam nomen Tergesti habuit; idque à terna egestione seu vastatione, non jam primo à Romanis conditum, sed pridem antea ab Istris vel Carnis, sub alio nomine. Dictum fuisse Montem Molianum asserit ex antiquis quibusdam Chronicis Manzolius, sed dubito an illis Chronicis aliquid credendum.

ANNUS MUNDI 3919.

ANTE CHRISTUM 134.

URBIS CONDITÆ AN. 618.

ÆMONÆ CONDITÆ AN. 1089.

Fulvio Flacco Consule Ardiæi, & Pallarij Illyriorum natio, Illyrium quod à Romanis tenebatur invaserant, quibus deterrendis Legatos miserunt Romani. Sed cum parere contemnerent, exercitus decem millium peditum, sexcentorum equitum mis-

sus est, quo perterriti, veniam postularunt à Senatu, eaq; lege impetrarunt, vt damnorum impensam, quam indignè oppressis intulissent, resarcirent. Fulvius Flaccus in eos missus; prælium duntaxat ad excursionem finitum. Triumphavit tamen de iis Flaccus. Ardiæos, qui Floro Vardiæi, Straboni Sardiæi dicti, potentissimos olim Illyrici populos fuisse ostendit Lucius ex Strabone, Appiano, Polyæno, Dione & aliis, quorum regio in mediterraneis protensa fuit vsq; in Pannonias. Eodem hoc anno M. Cæsonius Prætor in Thracia cum Scordiscis prosperè pugnavit. Erant Scordisci natio Gallica ex eorum numero qui redundante in Pannonia, Japydia, & Illyride multitudine Celtarum Delphos Duce Brenno petierant, & reduces ab infelici expeditione partim ad confluentes Savi & Colapis, partim ultra Danubium sedes habebant, vti latè ea de re Lazius agit: vndè toto cœlo errat Megiferus, & è suo cerebro fingit Scordiscos in Carso, concludens insuper Scordiscos veros fuisse Carinths, cum ei vetusti Scriptores plures repugnent, Plinius. Athenæus. Livius. Appianus, &c. Origine tamen Carsenses, multos illorum fuisse credo; quia etiam Carsum incoluerunt Galli, quorum partem Delphos profectam supra meminimus. Quomodo verò Carsenses Carinths? nisi fortè quia post multa seculà Carsum & ipsa quoque Carniolia Ducibus Carinths subjecta: at nondum hoc tempore.

ANNUS MUNDI 3925.

ANTE CHRISTUM 128.

URBIS CONDITÆ AN. 624.

ÆMONÆ CONDITÆ AN. 1095.

Prima Romanorum adversus Japydes nostros hoc anno suscepta expeditio est adeò tamen obscura, vt etiam notari à scriptoribus vix meruerit. Adversus Japodas, inquit Appia-

Cluver. lib. 1.
Ital. antiq.
c. 20.

Strab. lib. 7.

Steph. Byz.
ap. Cluv. cit.

Manzol. in
descr. Istr.

Appian. in
Illyr. Flor.
Epit. l. 56.

Sigon. in
fast.

Luc. Dalm.
l. 1. c. 3.

Laz. Migrat.
l. 5. pag. 174.
Megier. An.
nal. l. 2. c. 16

Plin. l. 3. c. 25
Athen. lib. 5.
Deipnos.
Liv. lib. 41.
Appian. in
Illyr.

Appian. in
Illyr. Flor.
Epit. lib. 59.

Appianus, quibus intrâ Alpes sedes est, Sempronius Tuditanus, & Pandufas Tiberius gessere bellum, verique simile est eos ad imperata facienda compulsos, verùm non multò post defecisse. L. Florus brevissimè: C. Sempronius Consul contrâ Japydes primò rem malè gessit, mox victoriâ cladem acceptam emendavit, virtute C. Junii Bruti, ejus qui Lusitaniam subegerat. Si divinare licet, origo belli fuit florens Japydû status, qui regnum Illyridis vicinorum depressâ potentiâ & toto ferè Illyrico in Provinciam à Romanis redactò, suarum rerum satagebant, gens Illyrii Celtisque permixta vt ait Strabo. Et fortasse Tergestinum portum adorti sui juris fecerant, quod indè videtur colligi posse, quia Plinius terminos Japydiæ vsque ad Timavum amnem vltra Tergesten extendit, & Strabo insinuat circa hæc tempora eos maximè floruisse, dum ait: *Hi cum aliquando florerent, & suam habitationem ad utrumque terminum extendissent, latrociniisque invalscerent, tandem ab Augusto Cæsare debellati, & confecti sunt.* Si ergò vsque ad Timavum nunc suos fines protensos habuerunt nostri Japydes, Tergestum haud dubiè eorum juris fuit. Sed quam procul se hac tempestate Japydia extenderit, vetus inscriptio seu fragmentum fastorum Triumphalium prodit, quæ sic habet:

C. SEMPRONIUS C. F. C. N. TUDITANUS.
COS. DE IAPVDIBVS KAL. OCT.

Plinius hanc inscriptionem complet cū ait: *Tuditanus, qui domuit Istros, in statua sua ibi inscripsit ab Aquileia ad Titium flumen stadia CC.* ad quem locum rectè notat Jo. Lucius. Tuditanum eam regionem Subalpinam subegisse, quæ ab Aquileia Titium vsque protenditur, quæ tunc temporis Japydibus tribuebatur, cum Titius Liburnicum flumen non longè à Tedanii fontibus Japydiam à Liburnia dirimentis, oriatur. Verosimile igitur est hoc tempore quidquid

inter Timavum, & Titium flumen intercessit maritimum, id totum à Sempronio Tuditano subactum & Japydibus ademptum fuisse; adeòque & Tergestum ipsum, quod portum aliquem fuisse & vicum vel pagum id temporis, quo nomine ab antiquis scriptoribus appellatur, nondum tamen coloniam Romanam, mihi persuadeo ex eo, quia nusquam deprehendo, quod Romani Japydes ante hunc annum debellaverint, ad quos illa pars maritima spectabat à Timavo saltem ad Formionem amnem, quibus Tergeste interjacet, adeòque non poterant coloniam illuc deducere, nisi hoc vel sequenti anno Japydibus superatis, qui nihilominus recedentibus Romanis, tametsi coloniam tolerarent, jugum tamen iterùm excusserunt.

ANNUS MUNDI 3933.

ANTE CHRISTUM 120.

URBIS CONDITÆ AN. 632.

ÆMONÆ CODITÆ AN. 1103.

Superioris anni Proconsul C. Sextus Salviorum gente superatâ, coloniam Aquas Sextias condidit. C. Domitius Proconsul contrâ Allobroges ad oppidum Vindalium feliciter pugnavit: quibus bellum inferendi causa fuit, quod Teutomalium Salviorum Regem fugientem recepissent, & omni ope juvissent, quodque Heduum agros sociorum populi Romani vastavissent. Errat hic iterum & audacter fingit Megiserus, quod Teutomalus fuerit Rex Salviorum & Tauriscorum, confundendo Sallyes sive Salyos, Salvios, & Salassos, qui sunt diversi populi, & ijs insuper admiscens Tauriscos, ab utrisque remotos. Sallyes, sive Salij, vel Salvij, & Salluvij dicti sunt populi Galliæ Narbonensis; at Sallassi sunt gens Inalpina contermini Centronibus Veragis, Lepontiis, Taurinis, quos Tauriscæ gentis Cato arbitratur teste Plinio, vsur-

Strabo. l. 4.
Dion. l. 49.

Plin. l. 3. c.
18. & 19.

Jo. Luc. Dal.
l. 1. cap. 5.

Flor. Epit. l.
61.

Meg. Annal.
Carinth. l. 2.
c. 19.

vsurpans promiscuè voces Taurisci, & Taurini. Habitarunt ad Alpes Graias & Pænicas, quæ à nostris Julis & Carnicis Alpibus, quibus Taurisci insederant, multum remotæ sunt. Non fuit ergò Teutomalius Rex Salafforum, sed Sallyorum, vel Salyum in Gallia Narbonensi. Deinde quod asserat idem Megiserus ab hoc Rege Sallyorum Teutomalio nostros Istros, & Aquileienses bello petitos, eorum agros vastatos, ut Romanis quibus parebant, queri per Legatos cogentur, merum figmentum est, quod Megiserus scripsit, ut scribere videretur: cum enim alleget Florum Epitomatorum Livii, apud quem nec verbum de tali bello reperitur, ipse solus fictæ narrationis est author.

ANNUS MUNDI 3935.

ANTE CHRISTUM 118.

URBIS CONDITÆ AN. 634.

ÆMONÆ CONDITÆ AN. 1105.

App. in Illy.

Consules hic annus habuit Cæcilium Metellum & L. Aure. Cottam, qui ducto exercitu in Illyricum Segestanos nostris Japydibus terminos ad Savi & Colapis confluentes debellarunt. Verum non multo post & hi, & Japydes nostri Romanum jugum excusserunt. Hic Cæcilius Metellus Consul Romam redux C. Marium, quem suo favore adjuverat ac promoverat, ingratum in senatu expertus est. Factus erat Marius Tribunus plebis, qui cum legem ferret de suffragiis, quæ primores videbatur privare potentiâ in divitiis, Cottam Consulem sibi repugnantem habuit; fuitque Cotta author senatui, ut legem oppugnaret, & Marium ad reddendam facti rationem vocaret. Cum ea de re senatus consultum perscriptum esset, Marius Curiam ingressus minatus est Cottæ, nisi induxisset SC. se eum in carcerem ducturum. Vbi Cotta se ad Metellum convertit, &

Plut. in Mario.

sententiam rogavit, Metellus assensus est collegæ Consuli. Tum Marius accitō lictore duci in vincula præcepit ipsū Metellum, quo alios Tribunos appellante, nemo fuit ei auxilio. Ità cedens senatus suū antiquavit decretum. Marius victor in Concionem egressus legem pertulit: habitusque est adversus metum invictus, & perfrictâ fronte adversus pudorem, quem Metello debebat & benefactori & Consuli.

ANNUS MUNDI 3936.

ANTE CHRISTUM 117.

URBIS CONDITÆ AN. 635.

ÆMONÆ CONDITÆ AN. 1106.

Allorem gentem sub radice Alpiam sitam, ut habet Orosius bello aggressus est Q. Martius Consul; gentem vocat Livij Epitomator *Sarnos*, quos aliqui in Narbonensi Gallia frustra quærunt, & suspicantur ob coloniam deductam, quæ dicta sit Narbo Martius. Melius verò divinat Cluverius apud Florum legi debere *Carnos* pro *Sarnos*, & adversus hos pugnatum esse hoc anno, utpote Celticam seu Gallicam gentem, uti ex fragmento fastorum Triumphalium apparet, in quo legitur:

Oros. l. 5. c. 14. Frecul. T. 1. l. 6. c. 8. Flor. Epit. l. 62. Cluv. Ital. l. 1. c. 19.

DE GALLEIS KARNEIS.

Cum ergò Carni & Gallica natio, & sub Alpiam radice siti fuerint (sic enim nostra montana vocant authores veteres) & ut observat Cluverius univèrsa Gallorum inter Rhenum Pyrenæosque montes & Oceanum gens neq; sub Alpiam radicibus sita, neque à Martio debellata fuerit, legendum est apud Florum: *Q. Martius Consul Carnos gentem Alpiam expugnavit*, quos Orosius Gallos sub radice Alpiam nominavit. Quo & illa spectat observatio, quod Romani his temporibus sensim vltra Alpes Julias conati sint promovere Italiæ terminos. Unde anno V. C. 624. Japydes Car-

Carnis contermini debellati; anno præterito, vt dictum Segestani ab alia parte Japydibus contermini: hoc proinde anno ad septentrionem arma conversa in Carnos suadet bellorum continuatio. Triennio post pugnatum contra Tauriscos in ipsis Alpibus, ostendetur infra. Unde consecutaneum est hos Flori *Sarinos* omninò fuisse Carnos eosque non Inalpinos, quos hodie Carniellos appellamus, sed Carnos sub radice Alpium conterminos Japydibus, vbi nunc superior Carniola, & Carinthia & licet Carniolæ plana ampliori vocabulo tribuerentur Pannoniæ, speciali tamen nomine his temporibus Carnia cæperint dici, & potèrò vltimis in montana Norici vbi nunc Carinthia est, nomen provehere. Cum enim Japydes subacti fuerint ante decennium, Segestani anno præcedenti, ad septentrionalem partem Japydum nulla fuit Propinquior regio, quàm Pannonia superior, & Tauriscia, quæ erat pars Norici. Taurisciam propter locorum asperitatem non fuerit aggressus Consul, sed Pannoniam cuius pars tunc Carnorum nomen usurpaverit, quemadmodum adhuc hodie retinet Carniolorum. Qua ratione verò hi Carni debellati sint recenset Eutropius ex Orofio. Q. Martius Consul Gallorum gentem sub radice Alpium sitam bello aggressus est, qui cum se Romanis copiis circumseptos viderent, belloque impares fore intelligerent, occisis conjugibus ac liberis in flammis se se proiecerunt. Qui verò præoccupantibus Romanis peragendæ tunc mortis suæ copiam non habuerant, captique fuerant, alii ferro, alii suspensio, alii abnegato cibo se se consumpserunt, nullusque omninò vel parvulus superfuit, qui servitutis conditionem vitæ amore toleraret. Vel ex hoc collige hos Gallos nostrates fuisse, cum & de Japydibus similia ex Appiano infra relaturi simus, quod igne potius absumi, & quamlibet pati mortem, quem servire maluerint. Excuf-

Eutrop. l. 4. c. 29.

A. fuisse tamen postea jugum Carnos, credibile est, cum sequentibus annis, iterum contra eos pugnatum à Romanis, dicturi simus.

ANNUS MUNDI 3937.

ANTE CHRISTUM 116.

URBIS CONDITÆ AN. 636.

ÆMONÆ CONDITÆ AN. 1107.

Rurfus in Illyrico quæsitæ Romanis gloria. L. Cæcilius Metellus Consulatum adeptus nihil delinquentibus Dalmatis; vnâ triumphandi libidine bellum intulit, à quibus amicè susceptus, apud Salonas eorum urbem transegit hyemem, & Romam reversus triumphavit. Sic vacuè ab hostibus Romani, hostes sibi ex amicis faciebant, & multas vrbes interire sæpè oportuit, vt vni vrbi exhiberentur diurna spectacula. Eutropius vtrumque Consulem Metellum, & Mutium Scævolum triumphasse scribit, tantò vanius: si alter nec interfuit, nec vidit fortè Dalmatiam. Biennio post à M. Æmilio Scauro Consule Tauriscos, qui suprâ Carnos erant, fuisse domitos notavis Cluverius, quod de parte Carinthiæ & nostræ Carniolæ superioris videtur intelligendum sed non diu jugum toleraverint:

Appian. in Illyr. Flor. Epit. lib. 62.

Cluv. Ital. 1. l. c. 19.

ANNUS MUNDI 3940.

ANTE CHRISTUM 113.

C. URBIS CONDITÆ AN. 639.

ÆMONÆ CONDITÆ AN. 1110.

Scordiscis bellum intulit Caius Cato Consul, ignominiosèq; pugnavit. Occasionem notavit Florus. Post Macedones, inquit, Thracès rebellabant, ipsi quondam Tributarij Macedonum: nec in proximas modò provincias contenti excurrere, Thessaliam atque Dalmatiam, in Hadriaticum mare vsque venerunt, eoq; fine contenti, quasi interveniente naturâ, contorta in ipsas aquas tela miserunt. Nihil inte-

Eutrop l. 4. c. 29 Flor. l. 3. c. 4.

interim per id omne tempus residuum crudelitatis fuit, in captivos sævientibus, litare Diis sanguinem humanum, bibere in ossibus capitum, cujusque modi ludibrio fædare mortem, tam igni, quam fumo: partus quoque gravidarum extorquere tormentis jam in consuetudinem traductum fuit. Sævissimi omnium Thracum Scordisci fuere, sed calliditas quoque ad robur accesserat; Sylvarum & montium situs cum ingenio consentiebant. Itaque non fufus modo ab his, aut fugatus, sed simili prodigio omninò totus interceptus exercitus, quem duxerat Cato. Ignominiam Consulis non nihil temperavit Didius Prætor, qui Scordiscos in suas repulit sedes. Triumphasse illum notavit ex Cicerone Sigonius. Scordisci porrò, ut suo loco diximus fuerunt Celtarum reliquiæ, qui Brenno Duce ab expilatione Delphici templi reduces inter confluentes Savi & Danubii confederant; adeoque populi nostræ originis & patriæ in maioribus suis.

ANNUS MUNDI 3941.

ANTE CHRISTUM 112.

URBIS CONDITÆ AN. 640.

ÆMONÆ CONDITÆ AN. 1111.

C Metellus hujus anni Consul Provinciam Macedoniam fortitatus est, sicut collega ejus Cn. Papyrius Carbo Illyricum. Metellus Catoni successit, & te benè gesta de Macedonia, in quam infesti Thraces irruebant, triumphavit. His Coss. Cimbri & Teutones (jam nova Celtarum nomina multiplicabantur) Rhenum transgressi in Italiam transitum moliantur: cum enim terras eorum inundasset Oceanus, novas sedes toto orbe quærebant: exclusi Galliâ & Hispaniâ, in Illyricum populabundi venerunt. Ab iis Papyrius Carbo Consul cum exercitu fufus est, ad urbem Noreiam. Straboni fidem habeo, qui de flumine vicino Aquileiæ agens, inquit: *Flumine sur-*

sum navigatur stadiis M. CC. ad urbem usque Noreiam, ubi Cn. Carbo collatis adversus Cimbros signis, re infectâ discessit. Quadriennio tardius hoc refert Florus ad consulatum Sillani. Palladius verò post novennium ad quartum consulatum Marii, sed Velleius circà hæc tempora Cimbros emerfisse asseruit nullum tempus determinando. Ego credo Eutropio, qui Consules hujus anni notat, & Tacito, & Floro in Epitome, & Straboni, qui omnes referunt Carbonem à Cimbris ad Noreiam victum & profligatum. Quænam verò hæc Noreia fuerit dictum est in Apparatu. Certum est Cimbros hoc anno in Illyricum venisse, & cum Carbone collatis signis dimicasse; quia tamen ut Florus ait: *novas sedes toto orbe quærebant.* Et in Epitome vocat gentem *vagam populabundam*, nihil mirum per decennium eos, modo hic, modo ibi transitum in Italiam tentasse, & hac vice vltra Noreiam nequaquam progressos. Tacitus hoc primum anno eos Romanis innotuisse affirmat: *Germaniæ sinum proximi Oceano Cimbri tenent &c. Sexcentimum & quadragesimum annum urbs nostra agebat cum primum Cimbrorum audita sunt arma Cæcilio Metello ac Papiro Coss.* Nihil proinde dubitandum est ad hunc annum spectare Carbonis cladem.

ANNUS MUNDI 3942.

ANTE CHRISTUM 111.

URBIS CONDITÆ AN. 641.

ÆMONÆ CONDITÆ AN. 1112.

S Cordisci nostræ Japydiæ & Pannoniæ genus, nondum quieti, Romanis faceffere pergunt negotia: Macedoniam iterum incursant, quæ Provincia M. Livio Druso Consuli obvenerat. Is ergò contra eos profectus feliciter pugnavit, & retrocedere coëgit, quin vltra Danubium arcuit. quod quidem non vno anno perfectum. Putat enim Sigonius etiam anno sequenti **Dru-**

Ciccr. in Pis.
Sigon. in Fastis
Justinus
lib. 32.

Eutrop. l. 4.
Flor. l. 3. c. 3.
& Epit. l. 63.
Eutrop. l. 4.
c. 33 Pallad.
rer. Forojul.
l. 4.
Strabo l. 5.

Flor. in Hist.

Vell. l. 2.

Flor. l. 3. c. 3.

Tac. l. de
Germ.

Sigon. in
fast.

Drusum contra Scordiscos pugnasse, & tandem Danubio illis pro limite constituto, Romam reversum, triumphasse. Cimbri hoc anno repulsi in Hercynium saltum ad Bojos recesserunt, quibus cum certare oportuit, ut mox dicemus. Numerus Boicorum scriptor Annalium, de Cimbrorum Rege Bojorige hæc annotat: *Bojorix non Bojus, sed Cimbrorum Rex à Plutarcho diserte scribitur, &c. Speciem habet nescio cuius mendicitatis tales nominum umbras sine re sectari, ad statuenda genti Boicæ trophæa.* Rectè: idem observetur in aliis.

ANNUS MUNDI 3943.

ANTE CHRISTUM 110.

URBIS CONDITÆ AN. 642.

ÆMONÆ CONDITÆ AN. 1113.

DRusus domitis tandem vel repressis Scordiscis triumphum obtinet: interea Cimbri cum Boiis certant de sedibus, & fortiter ab iis repelluntur. Plutarchus tradit initio fuisse ignoratum unde terrarum hoc genus hominum nubium instar advolasset: aliquos opinatos, quod ex ea Germaniæ parte, quæ ad septentrionem vergens, & juxta Mæotidem paludem reflexa Scythiam Ponticam attingit, sociatis armis coaluerint. Et quidem non omnes vno agmine aut simul, sed quotannis novæ turmæ è sedibus suis prodierint. Ab Oceano Germanico, & septentrionali profectos supra diximus, sed hic procul à Scythia Pontica remotus. Vicinos fuisse Saxonibus innuit Tacitus. Multorum certè seculorum sive experimento, sive persuasione constat, ab *Aquilone omne malum*, ab extremo septentrione omnem barbariem natam in excidium regnorum, & Provinciarum prodisse, quod si negaverimus de Cimbris, de Vandalis, de Gothis, de Langobardis, de Herulis, non poterimus negare, quod experti sumus ætate nostrâ, de Suecis, qui materiam Anna-

lium nobis designarunt mucronibus suis. De Cimbris porrò latè agunt Cluverius, Boxhornius, & alii, qui possint videri.

ANNUS MUNDI 3944.

ANTE CHRISTUM 109.

URBIS CONDITÆ AN. 643.

ÆMONÆ CONDITÆ AN. 1114.

Nondum quieverunt Scordisci, affueti sicut Japydes cognati jugum violenter injectum, generosè excutere. M. Minutius Rufus Consul Macedoniam sortitus Provinciã cum ab iis premeretur, & impar viribus esset, stratagemate usus, præmisit fratrem & paucos equites vnicum æneatoribus præcepitq; ut vidissent inchoatum prælium, subitos ex diverso se ostenderent & æneatores concinerent: quod ubi factum sonantibus montium jugis, species ingentis multitudinis offusa est nostris Scordiscis, ut territi receptui cernerent. Victoria penes Minutium fuit, sed non incruenta: multos siquidem suorū, & in prælio perdidit, & in glacie dum flumen transfirent equites. Florus à Minutio non hoc solùm sed & anno sequenti pugnatum adversum Thracas cum Proconsulis officio fungeretur, notavit. Alibi strictim asseruit, Munitius Thracas toto vastavit Hebro multis quidè amissis, dum perfidum glacie flumen equitatur. Minutii, qui porticus Romæ celebres molitus est, clarus ex Scordiscis triumphus fuit inquit Velleius. Sed an triumphum meruerit, meritò dubites, cum id temporis etiam contra commentitium hostem progresso triumphus concederetur, nec tam merita ponderarentur, quam consuetudo, prolabente sensim Romana virtute in vanitatem, quæ solet esse nimie felicitatis appendix.

ANNUS MUNDI 3945.

ANTE CHRISTUM 108.

URBIS CONDITÆ AN. 644.

ÆMONÆ CONDITÆ AN. 1115.

O

Cim-

Eutrop. l. 5.
Breu.Adelz. P. 1. l.
4. n. 4. Plut.
in Mario.Flor. cit. sup.
Plut. in Mar.
Adelz. cit.Cern. Tacit.
l. de Germ.Cluv. in Ger.
antiq. l. 3. c.
22 Roxhorn.
in hist. vni-
versali.Frontin. l. 2.
c. 4.Flor. in Epit.
l. 65.

Flor. l. 3. c. 4.

Vellei. l. 3.
c. 8.

Flor. l. 3. c. 3.
Epit. l. 65.
Paull. Diac.
Miscell. lib.
4. c. 33.

Cimbri iterum in Italiam aditum quærent; Romam Legatos mittunt, qui peterent, ut Martius populus, aliquid sibi terræ daret, quasi stipendium: cæterum ut vellet, manibus atque armis suis vteretur. Sed quas terras daret populus Romanus agrariis legibus inter se dimicaturus? Repulsi igitur, quod nequiverant precibus, armis quærere constituunt. M. Junium Syllanum Consulem in Gallia adoriuntur, qui primo statim impetu fusus ac profligatus exercitum perdidit. Eutropius hic lapsus est, cum adversus antiquiores scripsit Syllanum de Cimbris victoriam reportasse, cum fateantur Vellejus & Florus, Syllanum, Manlium, Cæpionem, omnes fugatos, exutos castris. Qua verò B. parte aditum in Italiam Cimbris quæsierint divinandum. Triennio abhinc, ut dictum ad Bojos in Hercynium saltum se contulerunt, ab iis repulsi ad Istrum & Scordiscos Gallos descenderunt, inde ad Tauriscos, ut habet Strabo: *Bojos quondam Hercynium incoluisse saltum: Cimbrorum vero cum ad ea loca se contulissent, ab iis repulsi ad Istrum & Scordiscos Gallos descendisse: mox inde ad Tauristas & Tauriscos itidem Gallos.* De Scordiscorum & Tauriscorum sedibus diximus in Apparatu; unde cum nunc habitaverint Cimbris cum Tauriscis, colligere licet eos nostram quoque Carnioliam, quæ inter Scordiscos & Tauriscos media fuit invndasse, ac proinde transitum in Italiam hac parte molitos.

ANNUS MUNDI 3946.

ANTE CHRISTUM 107.

URBIS CONDITÆ AN. 645.

ÆMONÆ CONDITÆ AN. 1116.

Flor. Vellei,
cit. Laz. Mi-
grat. l. 3.

MAurelio Scauro Consuli Gallia Provincia obtigerat. Is in locum Sillani missus, nihil felicius cum Cimbris dimicans tertiam ab iis cladem accepit; fusus, fugatus, & exercitu exutus. Tantus hujus gentis jam terror per-

Avaserat Romanum militem! De his gloriose Cluverius: *Cimbri primi omnium Germanorum per maximam Europæ partem victricia arma ducentos quadraginta circiter annos circumferendo, magnum sibi nomen, & gloriam ingentem quæsiverunt.* Nisi putet nunc primum auditum Germanorum nomen, adeoque hos primos Germanos victricia circumtulisse arma, fallitur; quia dudum ante Celtæ Romanis appellati Galli, revera Germani, licet nondum sub hoc nomine, Romanam hebetarunt fortitudinem; certè ingentem pluries sui terrorem inusserunt, uti supra meminimus.

Cluver. Ge-
man. apt.
lib. 3. c. 22.

ANNUS MUNDI 3947.

ANTE CHRISTUM 106.

URBIS CONDITÆ AN. 646.

ÆMONÆ CONDITÆ AN. 1117.

Alter hujus anni Consul L. Cassius à Tigurinis Gallis, qui se Cimbris conjunxerant pagò Helvetiorum, qui à civitate secesserant, in finibus Allobrogum, cum exercitu cæsus est. Exactè rem gestam describit Orosius: L. Cassius Consul, inquit, in Gallia Tigurinos usque ad Oceanum persecutus, rursumque ab iisdem insidiis circumventus, occisus est. Lucius quoque Piso vir Consularis, Legatus Cassii consulis interfectus. Q. Publilius alter legatus, ne exigua exercitus portio, quæ in castra confugerat, deleteretur, obsides, & dimidiam partem rerum omnium Tigurinis turpissimo foedere dedit; qui Romam reversus à Coelio Tribunopl. die dicta, ob datos obsides, in exilium profugit. In illo autem turpi foedere erat, ut Romani sub jugum mitterentur, quod factum fuisse Cæsar semel iterumque testatur.

Flor. Epit. l.
65. Orosius.
l. 5. c. 15.

Cæsar. de
bel. Gall. l.

ANNUS MUNDI 3948.

ANTE CHRISTUM 105.

URBIS CONDITÆ AN. 647.

ÆMONÆ CONDITÆ AN. 1118.

NAtalis est hic annus M. Tullij Ciceronis Eloquentiæ Romanæ principis, simul & Magni Pompeij: quo eodem anno Q. Cœpio Consul captâ Gallorum vrbe Tholofa centum millia pondo auri, & argenti centum decem milla teste Orofio sustulit, sed quisquis id aurum argentumque attigit misero cruciatu periit, vt ait Gellius. Unde *Aurum Tholosanum* in proverbium abiit, pro calamitate. Justinus memorat hunc thesaurum Tholofæ olim repositum fuisse à Celtis, qui Delphicum Apollinis templum diripuerant in Gallias reversi. Hinc Orofius ex Apollinis templo raptam hanc summam scripsit, quod verum est, si antiqua tempora respicias. Pecuniæ summam aliter exprimit Justinus, aitque fuisse auri pondo centum decem millia; argenti pondo quinquies decies centum millia. Prior summa ad vndecim milliones coronatorum ascenderet, posterior ad Sedecim milliones, & quinquaginta millia, vt supputat Salianus. Addit verò Justinus: Hoc sacrilegium causa excidij Cœpioni exercituique ejus postea fuit, quia videlicet à Cimbris cæsus, fugatus, & exercitu exutus est, vt notat Florus. Sic intelligo illud Justini: Romanos quoque Cimbrici belli tumultus, velut vltor sacre pecuniæ insecutus est. Sed erat hæc pecunia sacra, provt scilicet sacra erant ipsa Ethnicorum delubra. Cæterum si Deus ea quæ commentitiis Diis consecrantur intacta vult, quid non aget, cum verè sacra prophanantur?

ANNUS MUNDI 3949.

ANTE CHRISTUM 104.

URBIS CONDITÆ AN. 648.

ÆMONÆ CONDITÆ AN. 1119.

GEminum hoc anno bellum à Romanis gestum, vtrumque; luctuosum: alterum in Lusitania, quo cæsus est Romanus exercitus; alterum quo Q. Servilius Cœpio ingenti clade à Cimbris affectus est. Orofius id ac-

curatè profequitur. C. Manlius Consul (Cn. Mallium vocat Salianus, Manlium Florus) & Q. Cœpio Proconsul adversus Cimbros, & Teutonas, & Tigurinos, & Ambrones, Gallorum & Germanorum gentes, quæ tunc vt Romanum Imperiũ extinguerent, conspiraverant, missi, Provincias sibi Rhodano flumine medio diviserunt, vbi dum inter se gravissimâ invidiâ & contentione disceptant, cum magna ignominia & dedecore Romani nominis victi sunt. M. Aurelius Scaurus Consularis captus & interfectus est eâ occasione, vt notat Florus: cum à Cimbris in consilium evocatus deterreret eos ne Alpes transirent, Italiam petaturi; eo quod diceret Romanos vinci minimè posse, à Bolo Rege feroci juvene occisus est. Insuper duo filij Consulis cæsi, octoginta millia Romanorum sociorumque trucidata, quadraginta millia calonum, & lixarum interfecta, ita vt ex omni penitus exercitu, decem tantumodo homines superfuisse referantur, qui miserum nuntium ad augendam calamitatem reportarent. Cimbrici binis castris, & prædâ eximiâ potiti, insolitâ execratione, cuncta quæ cæperant, pessum dedere; vestis discissa & projecta est, aurum argentumque; in flumen abjectũ, lorice virorum concisæ, phaleræ equorũ disperditæ, equi ipsi gurgitibus merfi, vt nihil prædæ victor, nihil misericordie victus agnosceret. Maximus tunc Romæ non solùm luctus, verùm & metus fuit, ne confestim Cimbrici Alpes transgredierentur, Italiamque; delerent. Sallustius meminit eo metu Italiam omnem contremuisse, indeque; ad suam ætatem Romanis persuasum fuisse, alia omnia virtuti suæ prona esse, cum Gallis pro salute, non pro gloria certari. Dies quâ Cæpionis exercitus oppressus est inter nefastas numerata. C. Norbanus Trib. plebis dum rogationem de imperio Cæpioni abrogando ferre conatur, seditionem concitavit, in qua vim, fugam, lapidationem, crudelitatem Tribunitiâ, in Cæpionis

Orof. l. 7. c. 15. Strabo. l. 4. Gell. l. 3. c. 49. noct. Attica.

Just. l. 32.

Sal. ad hunc annum.

Flor. l. 3. c. 3.

Sallust. in Jugurth.

Jul. Obseq. Orof. sup. cit. Flor. Epit. l. 67. Id. l. 3. c. 3. Futrop. l. 5. init.

nis gravi miserabilique casu M. Tullius contigisse scribit. Deinde principem, & senatus, & civitatis M. Æmilium lapide percussum fuisse, vi pulsum ex templo L. Cottam, & T. Didium cum intercedere vellent rogationi. Itaque communi populi iudicio damnatus est Cæpio, ejusque bona publicata. Addit Valerius Max. Præturæ splendore, triumpho claritate, Consulatus decore, maximi Pontificis sacerdotio, ut Senatus Patronus diceretur, affecutus, in publicis vinculis spiritum deposuit, corpusque ejus funestis carnificis manibus laceratum, in scalis Gemoniis jacens, magno cum horrore totius fori Romani conspectum est. Ità sæpè vnicum infortunium absorbet omnem priorem B. fortunam.

ANNUS MUNDI 3950.
ANTE CHRISTUM 103.
URBIS CONDITÆ AN. 649.
ÆMONÆ CONDITÆ AN. 1120.

Cimbri vastatis omnibus, quæ circa Rhodanum & Pyrenæum erant, per saltum in Hispaniam transgressi, ibique multa loca populati à Celtiberis fugati sunt, reversique in Galliam cum Teutonibus sociati sunt. Interea Marius cui Gallia Provincia extra sortem decreta erat spatium habuit milites suos suis moribus conformandi. His item Coss. contra Thraces pugnatum feliciter à Romanis notavit Julius Obsequens, meminitque Eusebius in Chronico: sed quo Duce confectum sit illud bellum eruditi fatentur se ignorare. Romæ verò Marius Consul II. magnâ gloriâ triumphavit, Iugurthâ cum filiis ante currum ducto, qui mox jussu Consulis in carcere strangulatus est, vel fame necatus.

ANNUS MUNDI 3951.
ANTE CHRISTUM 102.
URBIS CONDITÆ AN. 650.
ÆMONÆ CONDITÆ AN. 1121.

MArius absens metu belli Cimbrici secundū & tertium Consul renunciatus est. Actum erat de re Romana, nisi Marius huic seculo contigisset. Tertium hunc Consulatus annum Marius in apparatu belli consumpsit, non ausus (ut inquit Florus) congregi statim; militem tenuit in castris, donec invicta illa rabies & impetus, quem Cimbri pro virtute habebant, confenescerent.

ANNUS MUNDI 3952.
ANTE CHRISTUM 101.
URBIS CONDITÆ AN. 651.
ÆMONÆ CONDITÆ AN. 1122.

Cum hoc tempus Marij virtutem fortunamque requireret, populus Romanus Consulem eum quartum creavit, collegamque dedit Lucatium Catulum: utriusque Gallia Provincia cum Cimbrico bello commendata. Marius raptim superatis Alpibus, ac castris ad amnem Rhodanum cemmunitis de comiteatu prospexit exercitui. Interea Cimbri divisi sunt à Teutonibus, & per Noricos adversus Catulum movere decreverunt: Teutones & Ambrones contra Marium per Liguriam secundum mare. Illis cunctantibus, isti confestim ad Marij castra immensa multitudine profecti eum ad certamen provocabant. Marius de industria tardabat, ut militem hostium vociferationibus & truci aspectui assuefaceret. Tandem Teutones adorti oppugnare castra Romana: utque in eos telorum grando coniecta est, nonnullosque ex suis desideravere, progredi decreverunt, rati se Alpes absque remora penetraturos. Et prætergressi Romanos per ludibrium interrogabant, ecquid mandare vellent vxoribus, brevi se eas visuros. Marius castra movit, eosque composito gradu subsecutus est ad Aquas Sextias: ibi loci opportunitate captatâ, prælio decernere statuit. Initium

Flor. l. 3. c. 3.
Vellei. l. 2. c.
12. Eutrop.
l. 5. c. 2.

Val. Max.
l. 6. c. 11.

Flor. Epit. l.
67.

Jul. obseq.
Euseb. in
Chron.

Eutrop. l. 4.
fin. Orof. l. 5.
c. 11.

Flor. Epit. l.
68. Vellei. l.
3. Eutrop. l.
5. c. 2. Front.
l. 2. c. 4. Orof.
l. 5. c. 16. Hæ.
Pallad. l. 4.
rer. Forojul.
l. Flor. l. 3. c.
3. Sabellicus
de vetust. P.
l. 2. Plutarch
in vit. Marij.
Laz. Migrat.
l. 3. p. 84.

tium factum à lixis & calonibus juxta
 hostium castra aquantibus: cumque ad
 clamorem plures concurrerent, & ri-
 vus Ambrones à Romanis divideret:
 Ambrorum voce crebrius iteratâ, Li-
 gures, qui se Ambrones quoque esse di-
 cebant, primi in eos impetum fecerunt:
 & dum rivum traiciunt è superiore loco
 in eos incumbentes, multos cædunt &
 rivum cadaveribus implent. Cæteros,
 qui transierant, Romani obvii, in
 castra & plaustra propulerunt. Ibi fæ-
 minæ cum gladiis ac securibus stridore
 horrendo æquè in fugientes ac subse-
 quentes ruebant, in hos vt hostes, in il-
 los vt proditores: nudis manibus scuta
 Romanis detrahebant, contemptis,
 quæ viceversa excipiebant vulneribus,
 ad extremum invictæ. Hæc pugnae
 præludia. Postero die Marius collem
 vicinum occupat, militem disponit in
 aciem: id contemplati Teutones irâ sti-
 mulante in collem feruntur, sed cum
 strage repulsi in planitie aciem direxe-
 runt. Consul Marcellum legatum ad
 postremos hostium submisit, qui tu-
 multum inter eos excitaret, ipse in fron-
 te aggressus illicò ordines dissipavit, &
 totum exercitum in fugam egit. Plures
 centum millibus feruntur aut capti aut
 trucidati. Teutobochus Rex captus,
 vel vt alii volunt occisus. Livii Epito-
 mator amplius aliquid affirmat: Duo-
 bus, inquit præliis circà Aquas Sextias
 eos hostes delevit, in quibus cæsa tra-
 duntur hostium ducenta millia, capta
 nonaginta. Sit fides penes authorem.
 Velleius solùm centum quinquaginta
 millia trucidata refert. Numerus sat ma-
 gnus etiam duobus præliis. Excisam
 tunc totam Teutonum gentem scripsit
 idem Velleius: at Eutropius non Teu-
 tones sed Tigurinos, & Ambrones cum
 Mario pugnasse refert: Teutones verò
 Cimbris conjunctos contra Lutatium
 Catulum dimicasse; illorum termille
 circiter effugisse. Alia porro Catulum
 fortuna exceptit. Hic enim cum plures

A. ex Norico transitus in Italiam animad-
 vertit, quos dispersito milite custodire
 non posset, satius duxit ad Alpium ra-
 dices hostem præstolari, & de summa
 rerum vbi occasio se daret, decernere.
 Itaque in Foro-Julio substitit: Livii Epi-
 tomator habet ad Athesim, qui fluvius
 Tyrolim perlabitur, sed mendum pu-
 tat esse Palladius, & legendum Natisonem,
 quem Plutarchus de hoc bello
 differens Atisonem (etiam corruptè)
 vocat. Cimbri sive per Alpes Julias pro-
 perarunt, sive per Carnicas, sive quod
 mihi verosimilius videtur, per Noricas
 simul & Carnicas; cum Florus disertè
 Tridentina juga nominet, & per illa so-
 la magnus exercitus difficulter transi-
 set; fortè & pars in Carsum venit. Ocrâ
 & Segesten hac expeditione dirutam
 periisse in Japydia putat Palladius, quin
 & Noreiam, sed hæc in prima horum
 populorum incursione ante deceñium
 everta est. Ad flumen ventum erat,
 quod sive Natisonem, sive Athesim in-
 telligas, Cimbri congesta lignorum &
 saxorum strue repleverunt, ac ponte
 constructo transire, vnde tantus Roma-
 nosterror invasit, vt fugam plerique si-
 gnis castrisque desertis arripuerint. Ca-
 tulus cum fugientem militem retinere
 non posset, præmissa Aquila antecessit,
 vt miles non fugere, sed Ducem sequi
 videretur. Si tunc Cimbri statim infe-
 sto agmine urbem petiissent: grande
 futurum erat discrimen: sed in Venetia
 quo ferè tractu Italia mollissima est, ipsâ
 soli cælique clementiâ robur elanguit.
 Propugnaculum tamen, quod erat trans
 Athesim aggressi, sponponderunt præ-
 sidio liberum abitum, juramento solen-
 ni ad æneum Taurum peracto; quem
 Taurum postea captum in Catuli do-
 minum velut spoliolorum primitias dedu-
 ctum ferunt, vt refert Plutarchus.

Plut. in Ma-
 rio.

ANNUS MUNDI 3953.

ANTE CHRISTUM 100.

URBIS CONDITÆ AN. 652.

ÆMONÆ CONDITÆ AN. 1123.

Plut. in Mar
Flor l. 3. c. 3.
Epit. l. 68.
Vellei. l. 2. c.
12. Orof. Eu-
trop. cit.

DUm Marius victor ex armis Teutonum pyram instruit, & facem submovere parat, Româ nuntium accipit delati sibi absenti quinti Consulatus, quem illi hinc Teutonica victoria, illinc Catuli fuga, & imminentes vrbi Cimbri conciliarunt. Revocatus in urbem Marius, cum omnes triumphaturum arbitrarentur, ipse novâ modestiâ (nisi mavis novo fastûs genere) oblatum vtrò triumphum recusavit, aut potius distulit, & in castra profectus Catulum erexit, legionesq; suas è Gallia exievit. Nondum Cimbri Padum transferant, sed vbi Marium Catulo junctum cognovere, missâ legatione sibi fratribusque suis, Ambrones & Tigurinos intelligebant, agrum & colonias poposcerunt. Ridens Marius: *omittite*, inquit *fratres istos, obtinent enim jam obtinebuntq; in perpetuum terram à nobis datam.* Simulque vt cæsos Teutonas crederent Reges eorum, qui fugientes in Alpibus intercepti erant, vinctos ostendi iussit. Quæ postquam Cimbris sunt renuntiata, extemplo adversus Marium quietè castra servantem, duxerunt. Boiorix eorum Rex ad castra adequitans Marium provocabat. Dicitur dies certamini tertius, & locus pugnæ campus ad Vercellas, vtrique exercitui commodus. Catulus viginti millia trecentos milites habebat, Marius triginta duo millia. Cimbrorum pedatus ex castris progressus quadrato agmine incedebat, triginta in longum latumque stadia occupans. Equites autem quindecim millia numero, splendidis in armis provehebantur, galeas ferrebant rictibus terribilium ferarum, rostrisque rari aspectus assimilatas, quas alatis cristis in altum attollentes, eo maiores videbantur. Thoraces ferrei, alba & coruscantia scuta, telum singulis bidens, cominûs magnis gravibusque pugnabant gladiis. Diu vario certatum Marte, Cimbri primùm fugati, mox cæsi, & capti: cæsi CXX. millia, capti

A. LX. millia vt Plutarchus scribit. Sed cum incruenta non fuerit victoria, tacet de cæde Romanorum. Florus in Epitome cæsa refert CXL. millia, capta LX. at in Historia solùm Sexaginta cæsa & capta, tertiâ parte minus. Velleius summam cæsa aut capta amplius centum millia. Cæterum non minor cum vxoribus Cimbrorum Romanis pugna, quàm cum viris fuit, quum objectis vndique plaustris, & carpentis, altè desuper quasi è turribus lanceis contisq; pugnarent. Perinde speciosa mors earum fuit, quàm pugna. Nam cum missâ ad Marium legatione, libertatem ac sacerdotium non impetrassent, suffocatis elisisque passim infantibus suis, aut mutis concidère vulneribus, aut vinculo è crinibus suis facto ab arboribus jugisq; plaustrorum pependerunt, vt Florus notavit: Marius admissio in partem triumphii collegâ certaminis Catulo, cum in præmium Sexto consulatu ornatur, fortunæ indulgentiâ ebrius, tantum non evertit Rempublicam. Multis deinceps annis Roma intestinis amplius, quàm externis laborabit bellis, hinc filebit ferè historia, quæ nostris partibus deberetur.

ANNUS MUNDI 3976.

ANTE CHRISTUM 77.

URBIS CONDITÆ AN. 675.

ÆMONÆ CONDITÆ AN. 1149.

SCordisci Celtarum nostratium reliquiæ Macedoniam depopulantur, barbariem sive à loco, quem habitabant, sive à vicinis Thracibus edocti, humanorum capitum ossa cruenta adhuc, & capillata pro poculis adhibere soliti. Contrà eos missus Appius Claudius Proconsul, qui levibus aliquot præliis præludens magnis se molibus objecit malorum, vndè cum animo æger, & curis circumseptus, morbo insuper implicitus esset, interiit. missus ei successor Cn. Scribonius Curio, sed post

Paul. Diac.
Misc. l. 6. c. 2.

Con-

Consulatum. Caius verò Cosconius in Illyricum missus est. Is præritâ subactâque Dalmatiâ Salonas urbem florentissimam post biennium tandem expugnavit & cæpit, ac composito bello Romanam rediit.

ANNUS MUNDI 3995.
ANTE CHRISTUM 58.
URBIS CONDITÆ AN. 694.
ÆMONÆ CONDITÆ AN. 1165.

TRansilimus quadraginta duorum annorum gesta, quæ nihil dubium fuisse illustria, sed vel annotata non sunt ab eorû temporum scriptoribus, vel interciderunt. Romanæ historiæ copiosa per id tempus succrevit seges, quam collectam alii exhibent. Sopita civilia bella, novas subactas Provincias, triumphatum Mithridatem, servile bellum magno periculo & labore extinctum, & plura talia narrent alij. Hoc anno Julium Cæsarem, qui postea imperavit Consullem lectum addito collega Lucio Bibulo facti notant. Decreta est ei vtraque Gallia Transalpina & Cisalpina cum Illyrico: assignatæ decem legiones in quinquennium. Exarsit intereâ novum bellum Helveticum, quod ipse Cæsar suis Commentariis descripsit: Id ei oblatum à Senatu post Consulatus honorem, lubens suscepit, vt iudicium, quo malè administrati muneris reus agebatur, eâ occasione declinaret.

ANNUS MUNDI 3996.
ANTE CHRISTUM 57.
URBIS CONDITÆ AN. 695.
ÆMONÆ CONDITÆ AN. 1166.

Cæsar contra Helvetios pugnaturus in Gallia, dum vires suas impares videt, magnis itineribus in Italiam properat, duasque ibi legiones conscribit, & tres, quæ circum Aquilejam hyemabant ex hibernis educit

& qua proximum erat iter per Alpes in vltiorem Galliam ire contendit. Palladius existimat eum per Alpes Carnicas iter fecisse, eaque occasione Julium Carnicum condidisse, sed tardius Sexenio id vult factum. Ego hoc anno vix putem de novis oppidis condendis Cæsarem fuisse sollicitum, quando festinandum erat ne hostis in Gallia vltiore invalesceret. Gaudentius Hilarinus anno proximè sequenti à Boiis Noreiam oppugnata scribit, sed hoc ante bellum Cæsaris contra Helvetios gestum accidisse; ex ipsiusmet Cæsaris commentario aperte deducitur. Noreiam verò hanc diversam fuisse ab ea in Tauriscis, ad quam Cn. Carbo cum Cimbris conflavit benè advertit nuperus scriptor, eo quod non videatur verosimile Boios Tauriscis, ad quos ex Italia migrantes diverterant, bellum iutulisse: addè quod illa Noreia jam excisa fuerit. Hæc verò à Boiis oppugnata juxtà Antonini Itinerarium in Norico mediterraneo sita reponitur à Cluverio in Neumarckhata Styriæ, qua de re vide, quæ diximus in Apparatu. Anno sequenti cum Ariovisto Germaniæ Rege pugnatum est. Fusus fugatusque Rex: ejus vxor, quæ erat Vocionis Regis Noricorum soror, in fuga periit.

ANNUS MUNDI 4002.
ANTE CHRISTUM 51.
URBIS CONDITÆ AN. 701.
ÆMONÆ CONDITÆ AN. 1172.

Si fides antiquo lapidi, quem Utini aliquando erutum scribit Palladius hoc anno C. Julius Cæsar Forum Julij in Provincia Venetia instituit, & eadem fortè occasione novum oppidum in Carnia condit, quod de suo nomine Julium Carnicum appellavit. Profectus inde in Galliam Transalpinam cum audisset Pyrustas in Illyrico tumultuari, celerrime advolavit, & rebus ex voto compositis ad exercitum rediit, vbi con-

Henr. Palla.
rer. For. Jul.
lib. 4.

Gaud. Hil.
Orat. ad Leo.
Aug.

Adelz in An-
nal. Boic.

Henr. Palla.
l. 4. rer. Foro-
jul.

Jul. Cæs. de
bello. Gall.
lib. 5.

Eutrop. in
Brev. Paul.
Diac. in Miff.
Sallust. &c.

Cæs. de bello
Gall. l. 1.

confecto bello victor, cum sibi absenti A. Consulatum decerni exposceret, contradictum est à Marcello Consule, à Bibulo, à Catone, adnitente Pompeio æmulo: quod fuit primum seminarium intestini belli. Nempe dum publicæ rei prætextu privata quærentur comoda, privatis & publicis æquè sunt metuenda dispendia.

ANNUS MUNDI 4004.

ANTE CHRISTUM 49.

URBIS CONDITÆ AN. 703.

ÆMONÆ CONDITÆ AN. 1174.

Gliscente intestinâ discordiâ Romæ, C. Julius Cæsar percurrit omnem Togatam Galliam, eique præfecit. T. Labienum, etsi eum crebro ab inimicis sollicitari contrâ se audiebat. Eo tempore Dalmatæ cæteri- que benigniori fortunâ vtentes Illyrij Liburnis, quæ etiam Illyriorum gens est, Promonam urbem abstulere. Liburni in populi Rom. fidem concedentes Cæsar in propinquo agentis opem implorarunt. Cæsar misit, qui Promonam tenentibus denuntiarent, vt oppidum Liburnis redderent: cumque ij contemnere Imperium viderentur, vâ lidam armatorum manum submisit, qui omnes ab Illyriis concisi sunt; neq; Cæsar vltus est: non enim Pompeianæ discordiæ implicito satis eam in rem otii fuit. Dilata vindicta dein gravior fuit. Promonam non nemo coniectare voluit Flumen S. Viti, quod multò recentius est, ac post ruinas Tarfaticæ conditum, incertum quando.

ANNUS MUNDI 4005.

ANTE CHRISTUM 48.

URBIS CONDITÆ AN. 704.

ÆMONÆ CONDITÆ AN. 1175.

Bellum ab vrbe condita longè maximum, reique Romanæ luctuosissimum apparatur. Ejus flam-

Appian. in Illyrico.

Gaud. Hilar.

Cæs. Bel. civ. l. 1. & 2. Flor. l. 4. c. 2.

ma latissimè sparsa totam statim Italiam belli fontem ac caput, Hispaniam & vtramque Galliam funesto cursu occupabit, nec maris cohibita fluctibus, pestifero saltu Siciliam, Sardiniam, Africam, Epirum, Dalmatiam, Macedoniam momento quasi percurret: imò vniversum mundum ab vltimis Gadibus occidentis, ad vltimos Parthos in oriente per infinita maria terrasque diffundetur. Belli Principes Julius Cæsar, & Pompeius. Inter reliquas cohortes & turmas, quæ sub auspicijs Cæsarum militarunt, fuerunt etiam trecenti equites Norici à Rege Noricorum submissi, vt ipse Cæsar recenset, quibus in Corfinij obsidione est vsus. Pompeianas partes secutus est Oriens, cum eo Deiotarus Galatiæ Rex Sexcentos Galatas junxit; Tarcundarius, Castor, & Danilaus reguli ex eadem Gallogræcia trecentos submiserunt, quorum alter vna veniebat, alter filium substituit. Sapienter Florus, causa inquit, tantæ calamitatis eadem, quæ omnium, *Nimia felicitas*. Et vt Poëta canebat

----- non fert Cæsarve priorem
Pompeiusve parem.

Adhæsisse nunc Cæsari etiam nostros Japydes credibile est, cum Liburni vicini à meridie, & ab occidente Carni, à septentrione Norici, ejus partes secuti sint. Habiti hi populi omnes vt socii, nec vlla hæctenus Romana præsidia admisisse credendi.

ANNUS MUNDI 4006.

ANTE CHRISTUM 47.

URBIS CONDITÆ AN. 705.

ÆMONÆ CONDITÆ AN. 1176.

Scinditur in partes Romanus orbis Intestina discordia evertet Rempublicam, vt pariat Principatum. Taceo alia inter Cæsarem & Pompeium hostilia. Nobis vicinum fuit, quod annotavit Dio de clade Cæsarianorum in Dalmatia. M. Octavius, & L. Scribonius

Dio ap Sa-
lian. adhunc
ann. Jul.
Cæs. l. 3. bel.
civ. Flor.
Epit. l. 110.

Libo

Libo Pompejanâ classe instructi P. Cornelium Dolabellam, qui Cæsaris partes tuebatur, profligant: dein C. Antonium subvenire volentem Dolabellæ, in exiguam quandam insulam compellunt, vbi ab incolis desertus, fame pressus, cum omnibus suis captus est. Pauci in continentem evaserunt; aliquot cum mare trajicerent, jamjam intercepti sibimet violentas intulere manus. Ad hunc etiam annum spectare videtur, quod Appianus refert Cæsarem Dalmatis & Illyriis vicinis eorum offensum cum copiis quas habebat à Brundisio mare Jonium transmisisse, ad eumq; profectum cum reliqui exercitus parte Antonium, quo etiam cohortes peditum quindecim & equitum tria millia Gabinus per Illyrios adduxit orâ Jonij circuitu peragrata. Illyrij reputantes ea, quæ non multò ante in Cæsarem commisissent, cum ejus victoriam exitio sibi futuram providerent, impetu facto univèrsum Gabinij exercitum (excepto Duce, paucisq; præterea fugâ elapsis) conciderunt; magnamq; ex spoliis & apparatu bellico prædam obtinuerunt. Cæsar gerendis rebus adversus Pompejum intentus erat, nec injuriam iteratam vlcisci potuit. An Japydes tunc cæteris Illyriis arma socia conjunxerint dubites: quia cum Liburni inter hos, & Dalmatas essent medijs, potius Liburnis Dalmatarum tunc hostibus adhæsisse credendi. Nihilominus & Japydes & Liburnos hæc belli flamma adflavit, quia Antonius in Curictico littore, seu Flanatico sinu ad Vegiam insulam castra locaverat, quovsq; protensam olim fuisse nostram Japydiam suo loco ostendimus. Ibidem Opitergini Cæsaris auxiliares eadem occasione, rate suâ ab hostilibus navibus clausâ, potius quam in potestatem inimicorum venirent inter se concurrentes occubuerunt. Hac eadem tempestate Gothos primum adversum Romanos pugnassee author est Isidorus Hispalensis, cum scilicet in Thessalia Pompejo adhæ-

fissent. Ubi dum Æthiopes, Indi, Persæ, Medi, Græci, Scythæ contra Cæsarem pugnant, Gothi præ cæteris ei fortius resistenterunt, quorum Cæsar copiâ & virtute turbatus, fugam arripere voluit, nisi nox finem prælio fecisset.

ANNUS MUNDI 4010.

ANTE CHRISTUM 43.

URBIS CONDITÆ AN. 709.

ÆMONÆ CONDITÆ AN. 1180.

Pompejo sublato, reliquijsq; ejus partiû, Civilis belli fomentis profligatis Cæsar Romam reversus de bello Parthis inferendo cogitare cæpit. Ea res perculit Dalmatas & Illyrios, ne ex itinere ejus vindictæ forent obnoxij, & pœnas darent cæsarum cohortium. Legatos igitur Româ mittunt, qui præteritorum veniam poscant, seq; in amicitiam ejus societatemq; dedant, Illyriorum gentem veluti bello inclytam verbis extollentes. Ille tametsi institutam adversus Parthos profectioem acceleraret, pro dignitate tamen populi Romani illis respondit, minimè amicorum loco habitaturum, qui talia perpetrassent: veniam autem daturum, si se tributo subijcerent obsidesq; darent: Dalmatis vtrumq; pollicentibus, Atinium (melius Florus Vatinium) multis cum pedestribus & equestribus copiis ad eos mittit, qui levia quædam tributa imponeret, obsidesq; reciperet. Interea Romæ senatorum conspiratione Idibus Martiis Cæsar in Curia perimitur anno Imperij an belli civilis quinto, vir naturæ dotibus nulli suppar. Mansit tamè deinceps Imperium, quod senatus in Cæsare extinctum voluit, vel exindè metuendû Augustis, quod in ipso initio sanguine fundatoris cruentatum. Sublato Cæsare, Illyrij rem Romanâ, quæ illius ductu maximè valida florensque fuisset, interituram rati neq; Vatinij dicto audientes esse, neque tributa conferre, neq; obsides dare voluerunt. Vim parantem Vatinium fortiter aggressi, quinque cohortes, eorum-

Appian. in
Illyr.

que Duce[m] Bebiu[m] Ordinis Senatorij cædunt; Vatinio cum reliquo exercitu Epidamnum se recipiente. Hinc exercitum senatus, itemque Macedoniam, & quidquid apud Illyricum in pop. Rom. ditione erat, M. Bruto Cæsaris interfectori, vti & Syriam Cassio ejusdem cædis consorti demandavit: sed his quoque bello adversus Antonium, & alterum Cæsarem, cui Augusto cognomen fuit, distentis, nihil contra Illyrios tentatum est, donec pacatis rebus domesticis ipse Augustus non ad Illyricum solum, sed & vicinas provincias occupandas animum adijceret. Extat Epistola Vatinij ad Ciceronem de rebus à se in Dalmatia gestis. Argutias quærit in nomine Augusti Megiferus, non enim ab augendo Imperio, sed ab augurio dictum contendit, & ædes quoque Augustas ab auguriis nomen habere vult, quod à Svetonio traxit. Hic enim sub dubio refert vtrumque; *vt Augustus potius vocaretur, non tantum novo, sed etiam ampliore cognomine: quod loca quoque religiosa, & in quibus augurato quid consecratur augusta dicantur, ab auctu, vel ab avium gestu gustuue.* Paulus Diaconus, qui hanc Augusti appellationem ad annum Urb. Cond. 725. retulit, sic appellatum affirmat: *quod Rempub. auxerit; quod nomen cunctis antea inviolatum, & usque ad nunc cæteris inausum, Dominis tantum Orbis licite usurpatum, apicem declarat Imperij.* Et hoc sensu hodie Germanos Imperatores nominamus Augustos. Coeterum Japydes nostros amicitiam adhuc cum Romanis coluisse, argumento est, quod anno sequenti referemus.

Cic. Epist. 10. lib. 5. Famil.

Megifer. l. 2. c. 3.

Suet. in August. c. 7.

Paul. Diac. Miscel. lib. 7. c. 11.

ANNUS MUNDI 4011.

ANTE CHRISTUM 42.

URBIS CONDITÆ AN. 710.

ÆMONÆ CONDITÆ AN. 1181.

Bellum civile recrudescit, dum Senatus favet percussoribus Cæsaris, & C. Octavius ejus ex testa-

mento hæres vindictam meditatur. M. Antonius Consul interpellatus ab Octavio, vt sibi adversus avunculi percussores adesset, impotenter agit, iustaque postulanti non sine injuriis repellit. Sed non defuerunt qui partibus Octavij adhærerent. Decimus Brutus, vt Antonio petenti Cisalpinam Galliam obsisteret Mutinam cum exercitu occupavit, vt est apud Livij Epitomatorem, & authorem Miscellæ. Verùm pro Mutina legendum esse Metulum insinuat Appianus, vbi de Metuli oppugnatione, quam infra post decennium referremus. *Metulij ex aggeribus pugnantes machinis, quas sibi comparaverant occasione à Decimo olim Bruto adversus Antonium, & Augustum per ea loca gesti,* Hoc ipsum illud bellum est, de quo nunc agimus: atque adeo Metulum nostrum belli orchestra fuit inter Decimum Brutum, & Antonium, succinctè Miscellæ author: *M. Antonius D. Brutum Mutinæ (lege Metuli in Japydia) obsedit; missique ad eum Legati à Senatu de pace, parum ad eam componendam valuerunt.* Eam ob rem senatus offensus Antonio misit Octavium Cæsarem tunc annorum octodecim juvenem cum duobus novis Consulibus Hirtio & Pansa, qui obseffo Decimo Bruto contra Antonium suppetias ferrent. Pansa primum adveniens exceptus infidiis inter suorum clades, ipse quoque pilo graviter fauciatus, non multis post diebus extinctus est. Hirtius auxilium Collegæ laturus intervenit, & magnas Antonij copias vastâ cæde delevit. Octavianus eatenus soluta castra custodivit. Inità verò alterâ contrâ Antonium pugnâ, Consul Hirtius occubuit, Cæsar Octavianus victoriâ potitus est. Fugit M. Antonius in Galliam ad M. Lepidum. Reverso Romam Cæsari Octaviano Senatus parum gratus fuit, Decimo verò Bruto obsidione liberato decretus est triumphus. Hoc contrâ Antonium susce-

Flor. Epit. lib. 117.

Miscel. lib. 7. c. 1.

Appian. in Illyr.

susce-

Sueton. in Octav.

ſuſceptum bellum, paulò aliter narrat Suetonius. Nempe juffum Octavium comparato exercitu pro Prætore præeſſe, & cum Hirtio ac Panſa qui Conſulatū acceperant Decimo Bruto opem ferre; demandatum bellum tertio menſe duobus præliis confeciſſe, & priore quidem in fugam actum ſine paludamento e quoque poſt biduum iterum aparuiſſe. Altero verò prælia fatiſ conſtare, non modo Ducis, ſed etiam militis functum munere; atque in media dimicatione Aquilifero legionis ſuæ graviter faucio Aquilam humeris ſubiſſe, diuque portaffe. Cùm verò Hirtius in acie, Panſa paulò poſt ex vulnere periſſent, rumor increbuit ambos opera ejus occiſos, vt Antonio fugato, Republicâ Conſulibus orbatâ ſolus victores exercitus occuparet. Panſæ quidem adeò ſuſpecta mors fuit, vt Glycas Medicus cuſtoditus ſit, quaſi venenum vulneri indidiſſet. Non ſunt aliena hæc ab ingenio ambitionis, quæ cum aliter non poteſt per alienas ruinas in altum enititur. Adicit his Aquilius Niger, alterum è Conſulibus Hirtium in pugna tumultu, ab ipſomet Octavio interemptum. Metulij recedentibus Romanis exercitibus, inſtrumenta & machinas bellicas, quibus ad id temporis caruiſſe videntur, induſtriè collegerunt, vſui aliquando futura. Nam licet nunc, vt ſocij & amici, D. Brutum & Octavium ſuſceperint, paulò poſt tamen (vt narrabimus) ad priſtinam libertatem aſpirarunt, laborante Romanâ Republicâ inteſtinis diſcordiis. Conciliati eâ occasione fuere D. Brutus & Octavius, quia ille (vt ait Author Miſcellæ) de conjuratione occiſi Julii Cæſaris confeſſus preces pœnitentiæ fudit. Ne verò dubites D. Brutum Metuli potius quam Mutinæ obſeſſum, vel hinc argumentum cape, quod victus Antonius dicatur ad Lepidum fugiſſe in Galliam, non ergò pugnatum ad Mutinam, quæ erat vrbs Galliæ togatæ,

A. quia ſic malè diceretur fugiſſe in Galliam, ſi prius in Gallia fuiſſet. Primus ad Mutinam pugnatum ſcripſit (niſi librariorum ſit error) Florus Epitomatō Livij, qui fortè legerit Mutilum Caſtrum propè Mutinam apud eundem Livium, loco Metuli legerit Mutili, & ad Mutinam Antonium fugatum crediderit. Quid poſt hæc actum fuerit apud noſtros Japydes, & Pannonες, ſilet per aliquot annos hiſtoria; quod amicitia Romanorum renuntiaverint, prodent ſequentia. D. Brutus interea, conciliatis inter ſe C. Octavio, M. Antonio, & Lepido, abſens proſcriptus eſt, deſertusque à ſuo exercitu, cùm fugam arripuiſſet Aquilejæ occiſus eſt. B. Duo igitur Conſules Romani anno Æmonæ noſtræ conditæ 1181. in Japydia (nunc Carniolia) noſtra, ad primariam urbem Metulum, vbi nunc pagus eſt Metule inter Oblack, & Laasdum contra M. Antonium præliantur, occubuerunt. Extant adhuc veſtigia foſſarum caſtrenſium, & non rarò dum campus aratur ferramenta rubigine conſumpta, armorum haud dubiè reliquiæ, effodiuntur.

Dio. Caſſ. lib. 42. Sueton. in Octav. c. 10. Genebr. lib. 2.

ANNUS MUNDI 4019.

ANTE CHRISTUM 34.

URBIS CONDITÆ AN. 718.

ÆMONÆ CONDITÆ AN. 1189.

C. **S**Alaſſi, & Tauriſci, Liburnique, ac Japydes, quum ante jam dudum in Romanos injuriſ fuiſſent, ac ſtipendio, quod pendere debebant non perſoluto etiam finitima invaſiſſent: nunc abſente Cæſare Auguſto aperte rebellarunt. Ad Salaſſos, qui ad Alpes Grajas ſiti erant miſſus Valerius Meſſala, eos perdomuit, & imperata facere adegit. Tauriſci, Japydes, & Liburni contermini erant, & ſe adverſus Romanos bellum haud dubiè illaturos præparabant; Segnius tamen nimiâ ſuarum Alpiū & anguſtarum viarū fiducia. Cæſar hoc fortè

Dio Caſſ. lib. 49.

Laz. l. 5. Mig.

Ptol. lib. 2.

Appian. in
Illyr.Flor. l. 4. c. 3.
Vellei. l. 2.
App. in Illyr.

anno Tauriscis infesta intulit signa, & Meromenos, quos Lazius putat esse hodiernos Meranios in Tyroli, debellavit: quin & Pyriſſæos; quos idem Lazius cum Pyruſtis conjungit, & Puſterthaler interpretatur, ſed Pyruſſæ Ptolomæo in Liburniæ & Dalmatiæ tabula propè Macedoniam collocantur, & Pyruſtæ Plinij ſunt populi Alpini. Fortè Pyruſtas Appianus ſcribere voluit cum Pyriſſæos nominavit. Cæterùm hoc anno Dalmatas, Deſſios, Segeſtanos & Pœones oppugnari cœptos ab Auguſto Cæſare, colligi potèſt ex iis, quæ anno ſequenti ex Appiano relaturi ſumus. Neque enim tot feroces populi vnus anni conatibus compeſci potuerunt. Et Dio teſtatur L. Cornificio, ac Sexto Pompejo Coſſ. bellum illatum Salaffis, Tauriſcis, Liburnis, Japydibus, quod Cæſare ad Conſulatum cum Tullo ineundum profecto finitum eſt, vt Appianus habet. Is verò Conſulatus reſpondet anno V. C. 720. Eſt hoc bellum Japydiæ noſtræ omnium graviffimum, quæ vnquam à vetuſtis Scriptoribus annotata reperiuntur. Unde ad hunc fortè annum referri debet Japydum noſtrorum excuſio Aquilejam uſque, & Tergeſtinæ coloniæ direptio, de quibus Appianus breviffimè annotavit: *Facto in Aquilejam impetu, & Tergeſtina colonia direpta, excivère Cæſarem*, nimirum Japydes.

ANNUS MUNDI 4020.


ANTE CHRISTUM 33.

URBIS CONDITÆ AN. 719.

ÆMONÆ CODITÆ AN. 1190.

EXtinctis percufforibus Cæſaris, quos perſequebatur Octavianus, ſupererat Pompeij domus. Alter juvenum in Hispania occidit, alter fugâ elapſus Siciliam primo Sardiniamque tenebat, ibique oppreſſus, magni ducis nomen obtenturus erat, ſi conqueſceret: ſed magnæ indolis indicium eſt ſperare ſemper. Perditis rebus profugit,

A. Afiamque velis petiit. Ibi juffu M. Antonij, cujus opem imploraverat, dum inter Ducem & ſupplicem tumultuatur, & nunc dignitatem retinet, nunc vitam precatur, jugulatus eſt. Exinde Antonius in Armeniam, Octavianus Cæſar in Illyridem ſuſcepit expeditionem. Antonius ſegnitate elanguit, Cæſar Oxæos, Partheneatas, Bathiates, Taulantios, Cambeos, Cinambros, Meromenos atque Pyriſſæos ſuperavit. Sed majus illi negotium fuit in recipiendis, & ad intermiſſa tributa cogendis Docleatibus, Carnis, Interfrurinis, Nariſcis, Glintidionibus, atque Tauriſcis, quibus devictis finitimi Ippaſini & Beſſi (ad Danubium in inferiore Pannonia hi colebant) ſe ſpontè tradiderunt. Liburnos mari infeſtos navibus mulctare ſatis habuit. Converſus in Japydiam inter Alpes Monætni & Avendeatæ advenientem illicò receperunt. Arupini verò, qui & multitudine juventutis & virtute bellicâ cæteris Japydibus antebant, ex vicis in urbem ſe receperant, illo appropinquante ad Sylvas fugerunt. Cæſar vrbi captæ ignem ſubiici paſſus non eſt, quod Arupinorum deditio ſperaret, quæ paulò poſt ſubſecuta eſt, eiſq; urbem colendam permiſit. Maximus illi labor in expugnandis Salaffis & Japydibus Tranſalpinis, contra quos anno ſequenti pugnavit. Segeſtani nunc, Dalmatæ, Deſſij, Pœoneſque longè à Salaffis poſiti impetiti ſunt; Montes hi Alpinos colebant accèſſu difficiles, arctum tranſitum habentes, quorum fiducia liberos fecerat hos populos, animoſq; eorum erexerat, vt à tranſeuntibus vectigal exigere ſint auſi. Hos Vetus Cæſaris Legatus ex improviſo aggreſſus, anguſta locorum per infidias occupat, & per biennium obſeſſos tenet. Illi falis inopiâ adacti tandem præſidium admiſère, non multò poſt jugum excuſuri.



ANNUS MUNDI 4021.

ANTE CHRISTUM 32.

URBIS CONDITÆ AN. 720.

ÆMONÆ CONDITÆ AN. 1191.

Appian. in
Illyr. Dio. l.
54. Sigon. de
Jure Ital. l. 3.
cap. 6.

Augustus Illyricum prosequitur bellum. Japydes nostri Transalpini (Pannoniis Cisalpini) gens valida & militaris, postquam facta in Aquilejam impetu, ac Tergestinâ coloniâ direptâ, necessitatem bello fecissent, Cæsarem ad arma provocarunt, qui cû arduo, & confragoso itinere adversum eos eniteretur, neque valido cæsarum arborum oppositu deduci se ab incepto pateretur, in alias concessere sylvas, perseverantemque in infidiis excipere conati sunt. Cæsar id ipsum suspicatus misit ex suis, qui cacumina montium occuparent, & vtrumque latus tegerent copiarum, quas ipse per inferiora ducebat, simulque obvia saltuum excindi curabat. Japydes nihilofecius ex infidiis subito emicuere, multosque affixere vulneribus, non sine suo damno, cum ex montium summitatibus Romani contra eos decurrerent. Urbem cui Terpo nomen (suspicio ego esse hodiernum oppidum Laas) vacuum habitatoribus, qui se in sylvam abdiderant, interceptam Cæsar conservandam sibi ab incendio putavit, illos pariter accessuros arbitratus, qui fugerant; quod & fecere. Deinde ad aliam processit urbem, Metulum incolæ vocant (hodie pagus proximus ad Oblack nomen servans Metule ad S. Antonium) quæ Japydum princeps habebatur, & ad quam pridè contra Antonium dimicaverat. Sita erat in monte crebris arboribus confito, duobus imposita tumulis, quos angusta vallis interfecat. Tria millia delectæ juventutis armisque, & animis validæ circumstantes mœnia Romanos facile arcebant. Illi aggrementum excitant, quem Metulii non intermissis neque noctu neque interdiu eruptionibus infestum habent: itemque homines ex aggeribus

A pugnantes machinarum ope, quas sibi cõparaverant occasione belli à D. Bruto adversus Antonium & Cæsarem gesti, (sic ipse Appianus loquitur) procul arcent Romanos. Ubi tamen constanti Romanorum industriâ, subruia cœpta sunt mœnia, introrsus sibi aliam munitionem excitant Metulii, intraque eam se recipiunt, omisso veteri muro, qui ab Romanis injecto protinus igne absumptus est. Adversus nova munimenta Cæsar, binos aggeres excitandos, ex iisque quatuor pontes muro iniiciendos curat: quibus paratis, ut oppidanos ancipiti pugna distraheret partem copiarum in aversum oppidi latus, ire jubet; cæteros per præparatos pontes aditum sibi ad urbem facere: ipse conscensâ editâ turre spectator certaminis exitum præstolatur. Metulij contra Romanis transitum molientibus per muros occurrunt & inde proturbant: alii pontibus succedentes eos infernè nituntur subvertere. Uno igitur ex pontibus, dein altero corruente, cum jam tertius in ruinam incumberet, timor ingens Romanos corripit, ut nullus quartum pontem conscendere tutum putaret. Urget Cæsar è turri increpans, & cunctantes objurgat, sed nihil proficit. Arrepto ergo clypeo è turri defiliens pontem effuso cursu petit, præeuntem sequuntur ex Ducibus Agrippa & Hieron, ex corporis custodibus Lucius & Jolas paucique armigeri. superato per Cæsarem ponte subiit animos militum pudor, & confestim totus exercitus eo properavit. Sed impar erat structura tanto oneri: ejus ruina plurimos oppressit, omnes dejecit: ipse Cæsar altero crure & utroque brachio faucibus discessit. Ne tamen opinione mortis ejus turbaretur exercitus, denudò cum signis turrim ascendit, seque militi spectandum dedit: ac ne videretur ea de causa oppugnationem intermissurus continuo alios pontes construere imperavit. Id verò nostris Metuliis sollicitudinem magnam injecit, reputantibus,

tibus, quam acrem, quam laboribus & cladibus invictum nacti essent hostem. Postridie igitur de pace agunt per Legatos, spondent obsides, præsidium pollicentur recipere. Jamque altio rem tumulum præsidio reliquerant, ipsi in humiliorem reducti: sed dum à victoribus arma jubentur ponere: tum verò animi efferati, ad arma rursus conclamant: conjuges & liberos intrà curiam includunt, appositâque custodiâ cui mandaverant, ut si quid adverfi sibi accidisset, injecto igne curiam concremarent, impetum in Romanos faciunt iracundiâ potius, quam consilio, ex inferiore loco pugnant, ubi licet plurimos interemerint, ipsi tandem, ut jam pauciores numero facillè sunt oppressi. Curie custodes nullam fecerunt moram exequendi, quod imperatum fuerat. Ipsæ matres seipsas, & parvos liberos interemere ne servitutem incurrerent: aliæ se & proles in ignem injecerunt. Sic tota ferè Metulorum juvenus in prælio fortiter dimicando, inutilis verò turbæ magna pars incendio periit. Urbs ipsa continenti arsit incendio, ita ut nullum, paulò ante maximæ, post incendium extare signum videretur. Evasisse tamen nonnullos conjicere licet, qui in Noricum haud procul inde delati vicatim fortè pro more ejus ætatis, & loci habitaverunt, unde adhuc ante centum proximè elapsos annos proximus collis ante Oberburgum, ubi nunc Deiparæ Virginis Ecclesia miraculis & devotione celebris visitur, *Metulski verch*, quasi collis Metulorum, vel Metuliensis vocabatur, uti MSS. Oberburgensia testantur. Hic finis fuit nobilissimæ quòdam urbis, quæ Japydum gentis primaria, Romanas vires contemnere, & porrò etiam labefactare ausa est. Metulo captâ cæterorum Japydum animi protinus in deditioem inclinarunt, quibus Cæsar certas dictavit leges. Nunc igitur primùm Transalpini Japydes Romanæ ditioni sunt adjecti: Al-

MSS. Oberburg.

pinos quippe & maritimos pridem Tuditanus debellaverat, qui tamen iterum jugum abjecerant, gens videlicet libertati vel assueta vel nata, Recedente Augusto Cæfare è Japydum numero Posseni obsequium exuunt, contra quos missus, M. Helvius (Elvium & Elbitum alibi lego) quod imperabatur extorsit: & defectionis quidem authores supplicio affecit, reliquos sub corona vendidit. Eodem tempore Segestani (si non adscripti, vicini Japydibus) eo quod Romanus exercitus bis antea in agrum illorum impetu factò, neque obsidibus imperatis, neque vllâ aliâ re ablatâ discesserat, magnis intumescabant spiritibus, non sano profectò consilio, cum fortior hostis non tantum non contemnendus sed formidandus esset. In hos Cæsar duxit per fines Poconum seu Pannonum, qui nè ipsi quidem in pop. Romani ditionem adhuc pervenerant. Saluosa est omnium Pannonum regio (Poconum ponit Appianus) interque Japydas ac Dardanas in longum protensa. Nullæ in ea vrbes erant, sed vicatim aut dispersis per agros domiciliis habitabatur: nullum univèrsæ genti commune regimen, nulli magistratus, separatique per cognationes atque familias consiliis agebant. Centum milia ætate militari censebantur, quæ tamen defectu communis imperii, minimè in vnum coibant. Adventante Cæfare in Sylvas se suas abdidere, indeque erumpendo Romanos milites adoriebantur, sicubi singulos aut paucos ab agmine digredi contigisset. Cæsar lenitate moliendos sperans, agris eorum & vicis pepercit; sed ubi obstinatos reperit, omnia ferro & flammâ vastavit, octo ipsos dies præda & cædibus inter eos grassatus. Hæc gesta in Carniolia nostra inferiore, seu Vindorum Marcha uti hodie vocatur, non enim de alia Poconia scripsisse censendus est Appianus cum subjungat: Inde perrexit Cæsar in agrum Segestanum, qui & ipse Pocon-

Pœonum est ad Savum fluvium, cujus in ripa vrbs egregiè munita est, patetq; latissimè in amplo fossæ fluminisque complexu, Segesta dicebatur, nunc in ejus ruinis Sisseckhum est infrà Zagrabiam. Expetebatur à Cæsare eâ maximè de causa, quia illic designabat belli sedem, quod meditabatur adversus Bastarnas ac Dacos habitantes trans Istrum. Ideòque & in vicinia Savi fluminis naves fabricari iusserat, quibus frumentum in Danubium deveheretur: quæ res non habenti in potestate Segestam admodum difficilis futura erat. Appropinquanti præsto fuere ab Segestanis Legati, qui ejus voluntatem exquireret. Imperatum sine mora præsidium acceptarent, centum obsides darent, & frumenti copiam pro facultate largirentur. Nihil ejusmodi primores civitatis recusandum sibi censuerunt. Plebs autem de obsidibus, quod ex optimatum liberis futuri erant, non multum laborabat, sed præsidii accedentis, nec aspectum quidem ferre potuit: vnde accedentes Romanos clausis iterum portis, quasi furore percita repellere cæpit. Cæsar flumen ponte jungit, fossaque ac vallo cingere oppidum instituit: biniq; mox aggeres excitati, quos oppidani eruptione factâ capere frustra conati, facibus multòque igne supernè aggrediebantur. Pannonæ, qui auxilium ex reliqua Provincia ferebant, Romanus miles ex insidiis aggressus cecidit, fugavitque, quæ res cæteros ab auxilio ferendo deterruit. Itaque Segestani omnia acerrimæ oppugnationis mala perpeffi, trigesima tandem die per vim capti sunt. Eorum virtutem admiratus Cæsar, precibusque, quibus tum primum vsi sunt ad misericordiam flexus, nihil durius aut in vitam, aut in agros eorum constituit: sed pecuniâ multare contentus, certam vrbs partem ab reliquo oppido muris discrevit, cui præsidium quinque & viginti cohortium impositum est. Hæc extremo autumno gesta: Cæsar in

vrbs reversus est, vbi non multò post rumor increbuit, præfidiarias cohortes ab Segestanis circumventas atque deletas. Igitur quanquam sævâ adhuc hyeme maturandum sibi putavit, & famam falsam illam quidem, cæterum non sine causa vulgatam, prævertere. Incurrerat discrimen præsidium; & repentina Segestanorum irruptione, multos è suo numero desideravit, Postridie reintegrato prælio fusi Segestani & compositi sunt. Copias igitur, quas adduxerat Cæsar rebus jam pacatis, convertit in Dalmatas, qui post cæsas quinque Gabinii cohortes, eorumque signa ablata, erectis eo successu animis decimū jam annum otii impatientes agebant. Adversus irrumpentem Cæsarem firmavere sese, junctis in mutua auxilia fœderibus: erant quippè electæ juventutis millia amplius duodecim, fortissima bello manus, Duce Verfo, qui Promonam Liburnorum oppidum rursus occupatum, ingenio loci adversus impetum hostilem sat tutum communiit, per colles vicinos præsidia disposuit, & Romanos ex alto despectabat. Hi nocte invadunt excubias, somno sopitos Dalmatas truncant, collem vnum occupant, mox alium; terrore correptis Dalmatis, qui ne ab aqua prohiberentur in vrbs sese recepere. Cæsar ad eam muro sepiendam per quadraginta stadia in circuitu animum adjecit, Teutimum auxilio venientem obsessis fudit, & in fugientis conspectu Promonam cepit, nondum omni ex parte muri, quem inchoaverat molitione perfectâ. Occasio ea fuit: oppidani eruperant, quibus repulsam passis, & fugientibus Romani mixti portas ingressi occuparunt vrbs. Tertia ferè populi pars ferro ablumpta est, reliqui in arcem se recepere. Hi nihilominus resumptis animis quartâ nocte rursus egressi sunt, & cohortem ad custodiam portæ dispositam in fugam egerunt summo cum dedecore Romanorum. Id Cæsarem ad indignationem

nem movit, vt convocata cohorte decimum quemq; forte ductum ad mortem adegerit, ductores verò ordinum supra decimum duos simili poenae subdiderit, ac denique reliquos illa aetate loco frumenti hordeo paverit. Teutimus cum vidisset Promonam captam in plures turmas suum divisit exercitum, quo factum vt Romani fugientem persequi non auderent propter viarum implicatam confusionem. Ergo ad urbem Synodium in principio sylvae positam itum est. in qua olim Gabinii copias Dalmatae in profunda valle obfederant: eo in loco etiam nunc Caesari struxere infidias. Sed cautior Caesar Synodium igne exussit, & per superiora montium partito exercitu, qui vna pro-

B. cederet, ipse per vallem iter instituit, sylvas undique praecidens, urbesque obvias capiens, & quaecunque obviam in itinere igne corrumpens. Ad Setoviam demum urbem ventum est (Petoviam legendum putat Lazius) cui obsessae ingens vicinorum populorum manus subsidio advenit. Caesar contra eos promotus exercitu ab urbis ingressu prohibuit: sed inter praeliandum lapidis ictu genu faucius multos dies decubuit, ac ubi primum restauratae vires, & vulnus curatum, Romam revertit Consulatum Volcatio Tullo collega gesturus, ad belli reliqua patranda Statilio Tauro illic cum copiis relicto. Quid hic Taurus absente Caesare gesserit, in obscuro mansit. Coeterum recte hic pro Setovia legi debere Petoviam ipse quoque arbitror, quia haec Caesaris Augusti expeditio non in Dalmatas solos, sed etiam in vicinos Japydes ac Pannonos suscepta fuit, quam Velleius brevi stylo complexus aiebat: *Universa Pannonia insolens longae pacis bonis, & adulta viribus Dalmatia omnibus tractus ejus gentibus in societatem adductis ex instituto arma corripuit.* quae licet ad aliud tempus Velleius referat, manifestum tamen faciunt, eam tempestate hos populos inter

Laz. comen.
Reip. l. 12. f.
4. c. 1.

Vellei. l. 2. c.
110.

A. se vicinos Dalmatas, Liburnos, Japydes, Pannonos, contra Romanos unitim certasse, & ab iisdem promiscue, pro vt armorum fortuna ferebat oppugnatos. Quamquam ex ipso Appiani contextu satis colligi potest Augustum ad Paetoviensem agrum tulisse arma hac expeditione, cum Segetam paulo ante occupaverit, a qua Petovium vnius vix diei itinere distat. Nunquam antea Romana arma, vltius prolata fuerant, nunquam acrius ante hunc ann. cum nostris Japydibus pugnatum est, qui licet nunc nimia oppressi potentia dissipati fuerint, colligent tamen iterum vires & arma, quibus insolentem excutiant dominatum. Paulo aliter narrat Florus memorata oppugnationem Metuli, in qua Caesar laesus fuit, nisi de alia loquatur expeditione: *Illyrii inquit, sub Alpibus agunt, imasque valles earum ad quaedam quasi claustra custodiunt, abruptis torrentibus impliciti: in hos expeditionem ipse sumpsit, fierique pontes imperavit. Hic se & aquis & hoste turbantibus, cunctanti ad ascensum militi, scutum de manu rapuit, & via primus, tunc agmine sequuto, quum Illyricus multitudine pontem succidisset, saucius manibus ac cruribus, speciosior sanguine, & ipso periculo augustior, terga hostium percecidit.* Ut vt se res habeat, id saltem certum est a Japydibus nostris Romanas vires attritas, & victis non plus quam victoribus ex hoc bello terroris incusum. Nec illud monere hoc loco praetermiserim, scriptores veteres cum de Illyrici (quod late apud Romanos patebat) bellis agunt, modo Illyrico, vt jam allegatus Florus, modo Dalmatiae velut suo tempore inter Illyricas regiones notissimae, vt Suetonius, modo speciatim Japydiae vel alteri Provinciae, ad quam narratio proprie spectat tribuere; vt proinde opus sit non tam combinatione plurium authorum, quam divinatione: haec sola nobis superest, cum injuria temporum authores vel non dederit, vel datos instulerit. Suetonius in

Flor. l. 4. c.
12.

Sueto. in
Aug. cap. 20.

Augu-

Augusto: *Externa bella duo omninò per se gessit: Dalmaticum adolescens adhuc; & Antonio devicto Cantabricum. Dalmatico etiam vulnera excepit: una acie dextram genu lapide ictus, altera & crus & utrumque brachium, ruina pontis consauciatus.* Quis dubitet cum Appianum fusè & accuratè scribentem legit de bello Illyrico, Augustum vulneratum ruina pontis ad Metulum nostræ Japydiæ; & tamen Suetonius Dalmaticum appellat bellum, quia videlicet à Dalmatia inchoatum, & deinceps in conterminam Liburniam huicq; annexam Japydiam continuatum. Idem conjecturare liceat cum de bellis Pannonicis & Noricis agitur; non ita propria fuisse Pannonibus & Noricis (quanquam horum partem explevit olim nostra Carniolia) aut Rhætis & Vindelicis, quin arma etiam nostram patriam cohærentem vtrisque Pannonibus & Noricis, vicinam verò Vindelicis & Rhætis, contingerent. Ne quis ergò miretur nos Dalmatarum, Croatarum, Rhætorum, Noricorum, Pannoniorum deinceps mentionem facturos. Id enim jure facimus, non tantum, quia vicinus præsumitur scire facta vicini, sed etiam quia plerumque orto magno incendio etiam proximus ardet Ucalegon.

ANNUS MUNDI 4022.

ANTE CHRISTUM 31.

URBIS CONDITÆ AN. 721.

ÆMONÆ CONDITÆ AN. 1192.

JAnuarij Calendis initis Augustus Cæsar magistratum Antonio Pæto tradidit, ipse ad Dalmatas & Illyrios recurrit, adhuc Triumviratum constituendæ Reip. gerens. Dalmatæ externo comœatu præcluso, fame fatigati venienti illi spontè obviam facti suppliciter se dedere, obsides tradiderunt pueros septingentos; signa Romana, quæ Gabinio abstulerant, & tributum quod à Julij Cæsaris temporibus pende-

re intermiserant reddituros polliciti. Sub tributo igitur postea pop. Romani vixerunt. Devictis Dalmatis Derbani adventanti Cæsari pariter supplices obviâ prodire, promissa tributa, dati obsides. Cæteri Dalmatis vicini Illyrii ad quos propter difficultatem itinerû Cæsar adire non potuit, nec obsides dederunt, nec fœdus inire curaverunt. Hos inter credo fuisse Æmonenses nostros; qui extremam partem superioris Pannoniæ conterminam Tauriscis seu Noricis ac Istris obtinuerant. Huc enim omni ex parte difficilis aditus, nec ante Rhætos aut Noricos putem Romanæ potentiæ subjectos fuisse. Appianus dubius hæret, quando cæteri Illyrii à Romanis debellati sint. Reliqui, inquit, populi, qui à Romanis Illyrij putantur, sunt ante Pœonas quidem Rhæti, Noricique post Pœonas Mysij ad Euxinum vsque Pontum. Rhætos itaque Noricosque aut à Julio Cæsare, quò tempore adversus Celtas res gessit, subactos fuisse dicendum est, aut ab Augusto bello Pannonico, namque inter duas hæc nationes medij sunt, nec vllum serium bellum adversus Rhætos Noricosq; gestum scriptores tradunt, vt omninò cum reliquis eos finitimis populis Po. Romani Imperio accessisse verisimile sit. Sed plura gessit Augustus contra Illyrios & Pannones bella. Hactenus Æmonâ & vicinum ei agrum indemnè extitisse putaverim. Post consopitum civile bellum occiso Antonio propius verò est Æmonam suscepisse Romanorû præsidium, vt infra dicemus. Per Noricos & Rhætos non abnuerim à Julio Cæsare ductos exercitus, & carptim noñnulla oppida expugnata, sed genti toti bellû ante Augusti tempora illatum non esse ex vetustis etiam scriptoribus liquet. Redux è Dalmatia Augustus, eodem hoc anno effecit vt Antonio & Cleopatrà, quam Antonius deperibat, bellum denuntiaretur. Apparatus vtrimque ingens fuit: Cæsari, Gallia, Hispania, Illy-

Q

ris,

ris, Africa, Sardinia, Sicilia adhæferunt. Antonium Asia vniverſa, quæ Romanis id temporis parebat, Europa, Thracia, Græcia, Ægyptus, Macedonia cum finitimis regionibus ſequebantur. Japydes noſtri, Pannonæ, Tauriſci, Norici & finitimi altâ pace quieti intra Fortunæ ſuæ mêtas manſere. Regum, quibus parebant, nomina interciderunt.

ANNUS MUNDI 4025.

ANTE CHRISTUM 28.

URBIS CONDITÆ AN. 724.

ÆMONÆ CONDITÆ AN. 1195.

Dio l. 51.
Faſti, Trium.
Flor. Epit. l.
133.

Debellatâ ſuperiore Anno Ægypto, Antonio Cleopatraq; mortuis, ſimulq; eorum morte bellis civilibus extinctis Auguſtus Romam revertit, & tres menſe ſextili, qui ex Senatus conſulto deinceps ab Auguſto ſortitus eſt nomen, triumphos vrbi intulit: primum de Pannoniis & Dalmatis octavo Idus Sextil. alterum de Macedonia ſeu victoria contra Antonium ad Actium obtenta VII. Id. Tertium de Ægypto & Cleopatra ſexto Idus. Hoc eſt ſexto, ſeptimo, & octavo die Auguſti. Multa à ſenatu in ejus honorem decreta, vt ſcilicet tribus Julia ab eo denominaretur, vt ipſe corona triumphali ludis omnibus vteretur, vt dies ejus in vrbem ingreſſus feſta haberetur, vt Sacerdotes quotquot placeret inſtitueret, vt Jani portæ, quaſi bellis omnibus jam conſectis clauderentur, quod ex adulatione potius quàm fundamento factum, ex Dione colligi poteſt, qui eodem tempore M. Crallum contra Dacas & Baſtarnas pugnaſſe refert. Illud hoc loco obſervandum exiſtimo, quod Sextus Rufus dicat: *Sub Julio & Octaviano Cæſaribus per Alpes Julias iter factum eſt; Alpinis omnibus victis Noricorum Provincia accellerunt.* Eo ſenſu accipiendum, quod iùb his duobus Cæſaribus Alpium Juliarum & Alpinorum populorum & vltra dominium aſſecu-

Sext. Ruf.
Breviar. c 7.

ta ſit Roma, non quod tunc primum Alpes Juliae penetratæ iter aperuerint ex Pannonia in Italiam, quia pridem id à Celtis noſtris factum fuiſſe ſuprà oſtendimus. Hoc ergò anno vel proximè ſubſequentibus Japydia noſtra & Carnioliae pars Norico accenſita, Romanæ ſe ſubmiſit potentiae, mox iterum excuſſura jugum. Ad eundem hunc annum pleriq; referunt, quod Octavianus Cæſar Auguſti nomen conſecutus ſit, publico ſenatus elogio: id ego meæ gratulor patriæ, quia non prius audiit orbis quempiam appellari Auguſtum, quam Japydes noſtri Romano foederi acceſſiſſent, quaſi ad augmentum Romanæ potentiae ſola deſiderata fuiſſet debellatio gentis virtute bellicâ præſtantis, validæ, bellicoſæ, prout eam appellat Appianus, & cui clauſtra Italiae cuſtodienda ipſa natura dedit, quæ libertatem ſæpè armis perditam, armis ſæpius recuperavit.

P2ul. Diac.
Miſc. l. 7. c.
11. Eut. ib.
Oroſ. l. 6. c.
20. Dio. l. 51.
Aurel. vict.
de Cæſ. c. 1.
Flo l. 4. c. vlt.
Appian. in
Illyr.

ANNUS MUNDI 4029.

ANTE CHRISTUM 24.

URBIS CONDITÆ AN. 728.

ÆMONÆ CONDITÆ AN. 1199.

Secundò per Cæſarem Auguſtum, poſt vrbem conditam Janus clauditur. M. Terentius Varro Cæſaris auſpiciis ad verſus Salafſos Inalpinos populos feliciter pugnat. Ibi juffu Cæſaris nova vrbs condita dictaque Auguſta Prætoria, nunc Italis Oſta, Germanis *Augſt*, vbi adhuc cernitur Ortelio teſte, arcus Triumphalis antiquus imaginibus, & inſcriptione orbatuſ, quem ſuſpicatur Salianus eum eſſe, cujus inſcriptio apud Plinium legitur his verbis: *Imperat. Cæſari Divi F. Auguri. Pont. Maxim. Imperat. XIII. Tribunitiae poteſtatis. S. P. Q. R. quod ejus ductu auſpiciisque gentes alpinæ omnes, quæ à mari ſupero ad inferum pertinebant ſub Imperium populi Romani ſint redactæ.* Enumerat deinde gentes

Sueton in
Aug. Flor. l.
135 Epit.
Oroſ. l. 6. c. 21.

Ort. in Syn.
Geograph.

Plin. l. 3. c.
20.

tes

tes devictas longo ordine, inter quas nec Carni, nec Japydes, nec Norici, nec Taurisci recensentur, vnde si arcus ille Triumphalis Augusto erectus ob victoriam de Alpinis gentibus, cum recusaret triumphum, suâ opinione triumphis major, nondum hac tempestate Carni & Japydes & Norici nostri penitùs in populi Romani ditione fuerunt, licet aliquando bellis laceffiti, aut certè vnamini virtute hoc tempore se libertati restituerant, quod videtur innuere Florus, qui relato sine civilis belli ac cæde Antonij, ait: Hic finis armorum civilium, reliqua adversus exterarum gentes: quæ distracto circa mala sua imperio, diversis orbis oris emicabant. Nova quippè pace nondum assuetæ frænis servitutis, tumidæ gentium inflatæque cervices, ab imposito nuper jugo resiliebant. Ad Septentrionem conversa fermè plaga, ferociùs agebat, Norici, Illyrij, Pannonij, Dalmatæ, Mysij, Thraces, & Daci, Sarmatæ atque Germani. Noricis animos dabant Alpes atq; nives, quo bellum nõ posset ascendere. Igitur siquæ harum gentium prius subjugatæ fuerant à Romanis, nunc per civile bellum animatæ se rursù libertati asserverunt, præsertim Japydes nostri Alpini & Transalpini.

ANNUS MUNDI 4031.

ANTE CHRISTUM 22.

URBIS CONDITÆ AN. 730.

ÆMONÆ CONDITÆ AN. 1201.

Redux à Cantabrico bello, quod toto quinqueñio gestum est, Augustus Cæsar, relictoq; illic Legato L. Æmilio, Romæ gravi morbo decubuit. Sanitati redditus M. Agrippam in Syriam, Cn. Pisonem in Vindelicos misit. Acriter ibi bellatum, accitis haud dubiè in societatem belli Noricis conterminis verosimile est, licet authores ea de re taceant. Eutropius paucis de Pifone, Cantabrico bello per quinque annos acto Cæsar Romam rediit, quibus etiam die-

bus multa per se, multaq; per Duces & Legatos bella gessit. Nam inter cæteros & Pifo adversus Vindelicos missus est, quibus subactis victor ad Cæsarem Lugdunum venit. Consulatum hoc anno Pifo cum Cæsare gessit, & si hoc nomine bellum suscepit, diutius id eum gessisse oportuit, vel certè tardius inchoasse, vel denique proximis annis Cæsarem in Gallias profectum, quod Dio refert ad annum Urbis Conditæ 737. Possis ergò hanc Pisonis expeditionem ad Sexenium differre, imò ad Consulatum L. Pisonis A. Urb. Cond. 738. quia tunc Augustus vltra biennium moratus creditur in Gallia.

Dio lib. 54.

ANNUS MUNDI 4035.

ANTE CHRISTUM 18.

URBIS CONDITÆ AN. 734.

ÆMONÆ CONDITÆ AN. 1205.

Publius Silius superioris anni Consul populos Alpinos & Pannonios infestis armis petit; si conjecturæ locus est nostra tunc Æmona Alpium & Pannoniæ quasi nexus, primum impetum sustinuit. Cætera scriptorum defectu manserunt in obscuro. Romæ decus Romanæ Poëseos Virgilius Maro diem extremum obiit, dignus etiam memorari à nobis, qui inter alia cecinit nostri *septemplex ora Timavi*. Biennio tardius ejus obitum ponit Idatius, & conjungit ei ortum Magnæ Dei Matris, seu Conceptionem Immaculatam Virginis Deiparæ in vtero S. Annæ, eo planè tempore, quo Augustus, velut ad cunas Magnæ Infantis depositurus suos fasces in Syriam concessit. Non pridem ante cecinerat Maro.

Fasti. Capitol.

Hieron. in Euseb. Chronic.

Idatius in Chronic.

Jam redit & Virgo, redeunt Saturnia Secla.

Virg Elog. 4.

Quod divinâ factum dispensatione, vti etiam Gentiles prædicerent Virginis partum, & Messiæ adventum: eorumq; dictis convincerentur tam Judæi, quàm Ethnici. Hac de re vide Baron. in Apparatu.

Baron. Appar. Eccles.

ANNUS MUNDI 4038.

ANTE CHRISTUM 15.

URBIS CONDITÆ AN. 737.

ÆMONÆ CONDITÆ AN. 1208.

Fast. Capi-
tol. A. V. C.
737.Eutrop. l. 7.
c. 14.

Miscell. l. 7.

Oros. lib. 6. c.
21. Bucelin.
Rhæt Chron.
nic. ad ann.
M. 4603.

DE Alpibus & Pannoniis, quæ jugum Romanum excusserant, recens debellatis, incertum tamen quâ parte, Romæ triumphum obtinet P. Silius Proconsul. Ità notant Fasti Capitolini: cæteri scriptores silent, nisi quod vniversim pacis per Augustum Hispaniis Eutropius & alij referant: tunc veluti ad constitutum pacis diem festinarent, ità omnes ad experientiam belli, decisionemvè foederis vndatim gentes commovebantur, aut suscepturæ conditiones pacis, si vincerentur, aut vsuræ quietâ libertate si vincerent. Norici, Illyrici, Pannonij, Dalmatæ Moesij, &c. per diversos Duces vel superati, vel repressi, &c. Interea Tiberius & Drusus privigni Augusti Rhætiam invadentes apud Alpes Tridentinas acri prælio conflixerunt, vbi Rhæti magnâ strage fusi, Druso Prætorios honores pepererunt. Hoc demùm anno vniversam Japydiam Alpinam & Transalpinam (sic Romanis dictam cum mihi scribenti sit Cisalpina) Carniam, Taurisciam, Noricum, quarum Provinciarum partes hodierna Carniolia complectitur, constanti fide Romano, foederi accessisse verosimile est, tamen nullus scriptorum id speciatim tradat. Sed facilis est conjectura, quia deinceps vix vlla de his partibus bella memorantur, & post non multos annos de præfidiis Romanis fit mentio, vt ex sequentibus manifestum fiet.

ANNUS MUNDI 4042.

ANTE CHRISTUM II.

URBIS CONDITÆ AN. 741.

ÆMONÆ CONDITÆ AN. 1212.

Dio. Cass.
lib. 6. c. 21.

GLiscente in Pannoniis bello M. Agrippa è Syria redux prorogata Tribunitia potestate in a-

Aliud quinquennium, cum majore Imperio, quàm vllus alius extrâ Italiam habuerat, missus est. Hanc expeditionem anno primum sequenti suscepit. Pannonnes ejus adventu cognito, à novis rebus destiterunt, & in gratiam recepti sunt: qui nam illi verò, cum latè pateret Pannonia, & superior nondum id temporis (tota saltem) adorare didicisset Romam, divinacioni relinquitur. Agrippa reversus in Campaniam se contulit, vbi morbo correptus obiit, vir omnium suæ ætatis hominum optimus, qui principis amicitia in publicæ rei vtilitatem sapienter vteretur: cui cum omnem suam sapientiam, & fortitudinem vtendam daret, honores tamen & potentiam ab eo parcè acciperet, & in ejus gloriam, aliorum autem vtilitatem impenderet: vnde factum, vt neque Augusto molestus vnquam esset, neque invidiæ aliorum obnoxius, simulque Monarchiam Augusti, dum maximè popularem agit, maximè stabiliret. Exemplum ingens aulæ sectatorum, quod speculi vicem sibi proponant, qui Deo, Regi, populo æquè placere cupiant. Mortuo Agrippa redierunt ad ingenium Pannonnes, & bellum renovarunt. Missus contra eos Tiberius Cæsaris privignus, qui finitimorum Scordiscorum opera vsus, multis damnis affectos fregit, & armis spoliatos vendidit. Cum ergò Scordiscos ad Savum habitasse conterminos Japydibus nostris, imò posteros eorum fuisse ex superioribus constet, reliquum est, vt concludamus bellum hoc Pannonicum contra superiorem Pannoniam gestum esse. Lazius Scordiscos in Posslegiensi, Zagrabiensi tractu collocat. Jam nos alibi eorum situm indicavimus.

Laz. Migrat.
L. 5. pag. 175.

ANNUS MUNDI 4043.

ANTE CHRISTUM 10.

URBIS CONDITÆ AN. 742.

ÆMONÆ CONDITÆ AN. 1213.

Tibe-

Dio. Cassi.
54. Vellei.
lib. 2.

Tiberius in Dalmatas movet, qui rebellabant, vti & Pannonii in ejus absentia animosiores. Bellum modò huc modò illuc transferebat, vt inquietos populos compesceret. Sub idem tempus Vologæsus Thrax Bessus natione, & Bacchi sacerdos finitimis sibi quadam superstitione conjunctis bellum Romanis movit. Contrà eum progredi iussus L. Piso, qui tum Pamphylia præerat; & primùm quidem malè pugnavit: deindè pluribus præliis superatum ad obedientiam reduxit. Tiberio ob res præclare gestas Triumphales honores decreti, vt ovans urbem invehetur.

ANNUS MUNDI 4044.

ANTE CHRISTUM 9.

URBIS CONDITÆ AN. 743.

ÆMONÆ CONDITÆ AN. 1214.

Deceverat hoc anno Roma Iani templum iteratò claudere, verùm id ne fieret Daci obstitere, qui Istrum frigore concretum transgressi (Transylvani hodierni iis successerunt) ex Pannonia prædas agebant. Dalmatæ quoque propter ex actum tributum post Tiberii in Gallias recessum novo tumultu sese Romanis opposuere. Sed Tiberius ex Gallia properanter excitus, seditionem pacavit, & rursus ad Augustum, qui tunc in Gallia Lugdunensi morabatur, rediit. Velleius de his Dalmaticis, & Pannonicis bellis summatim multa complexus: Bellum inquit, *Pannonicum magnum, atroxque & perquam vicinum Italiae, per Neronem gestum est. Gentes Pannoniorum, Dalmatarumque nationes, situmque regionum ac fluminum, numerumque & modum viriù, excelsissimasque & multiplices eo bello victorias, tanti Imperatoris alio loco explicabimus.* Id an re ipsa Velleius præstiterit, ambiguum est, saltem nihil ejusmodi extat. Magno rei historicæ damno interierunt pleraque ad nostram patriam

Vellei. l. 2. c.
94.

A spectantia, vti ex Epitomatoribus Livij & Trogi Pompeii colligi potest. An nostri Japydes hoc tempore pro Romanis, vt focii vel subditi, an contrà eos pro vicinis Pannonibus, & Dalmatis certaverint, relinquo in dubio. Certè quievissè, & neutri accessisse parti gentem adeò vicinam, & bellicosam mihi persuadere non possum. Constantè etiam eos Romanis adhæsisse, non auisim asserere.

ANNUS MUNDI 4045.

ANTE CHRISTUM 8.

URBIS CONDITÆ AN. 744.

ÆMONÆ CONDITÆ AN. 1215.

B. **T**iberium Neronem hoc anno de Dalmatis, Pannoniis, & Dacis in Illyrico triumphasse notant Fasti Capitolini: alii biennio tardiùs. Drusus ejus frater in Germania rebus præclare gestis, summo exercitus luctu moritur. Funus Romã defertur, vbi duplici laudatione honoratur, alterà Tiberii fratris in foro, alterà ipsius Augusti in circo Flaminio. Exindè moles Germanici belli translata est in Tiberium, quod is suâ virtute & fortunâ administravit, & à devastatione Germaniæ Imperatoris nomen tulit: Rhætiam, Vindelicos, ac Noricos, Pannoniamque & Scordiscos novas ipse Imperio Romano adjunxit Provincias. Sed quo anno signatè hæ regiones sortitæ sint Provinciarum formam id incertum est. Verosimile est id factum tunc, quando bella contrà eas gesta, proximè scilicet sequentibus annis, vt dicam. Claudius Tiberius, qui postea imperavit, hoc anno nascitur.

Fasti Capit.

Vellei. l. 2. c.
39. Jornand.
de regn. succ.
cess. c. 62.

ANNUS MUNDI 4046.

ANTE CHRISTUM 7.

URBIS CONDITÆ AN. 745.

ÆMONÆ CONDITÆ AN. 1216.

Herodes Ascalonita cum filiis Romam venit, vbi cum Cæsarem non reperisset, Aquilejam vsq;

vsque secutus est, quo Cæsar Tiberium in Germanos denuò proficiscentem comitabatur. Sed & aliàs frequenter Aquilejam venisse ibique moratum Augustum tradit Henricus Palladius, vt deliciosæ patriæ vbertate frueretur. Liviæ conjugii maximè in delitiis fuit Pucinum vinum, quod proximè ad Timavi fontes in collibus crescit: hoc vsa Livia ad annum octogesimum secundum vitam extendit. Vixit hac tempestate Cornelius Gallus Poëta, natus Aquileiæ, & per bonas artes ad clariorem famam provectus Augustum familiarissimum habuit, à quo inter cœtera benevolentiae exhibita signa Præfecturam Ægypti accepit. Mortuum hoc anno Horatium Lyricum Poëtam, ex dolore fortè patroni sui Mecænatis non pridem defuncti author est Suetonius, cum vixisset annos quinquaginta novem Epitaphium illi non invito scribendum censet nonnemo: *Epicuri de grege porcus*. Alius verò Poëtam clarissimum, *perpurgati iudicii, limatissimique ingenii, tam elegantia nitidum, quam lepore comem, dignum quem Augustus ambiret*, censuit. Ità non omnes probamus omnia, & vibramus sæpè iudicia, ex affectùs præiudicio. Ego in Martiali elegantiam, stylum, acumen laudo, vitam non laudo.

ANNUS MUNDI 4047.

ANTE CHRISTUM 6.

URBIS CONDITÆ AN. 476.

ÆMONÆ CONDITÆ AN. 1217.

Prosequitur adhuc bellum Germanicum Tiberius Nero, & felici armorum progressu vniversam penè Germaniam sub jugum Romanum mittit. Quidquid inter Albim & Rhenum erat, victori cessit. De hoc bello Suetonius: Quadringenta millia deditiorum trajecit in Galliam, juxtàq; ripam Rheni sedibus assignatis collocavit. Bellum hoc triennio gestum diserte asserit Author compilationis Chro-

Marian. Scot. in Chronol. Sueton in Tib. cap 9. Auth. Compil. Chronol. ap Pistor. Eutrop. l. 7.

Sal. hic. Pal. cit.

Henr Pall. rer. Foro-jul. lib 5. Sueton. in vita.

Anologica, & alii. Interea Pannonies nova iterum molientes per Sextum Aquilium ad deditioem compulsi sunt. Herodes, quo securior regnaret in Iudæa, Hircanum Regem & sacerdotem Iudæorum extinxit. Insuper sororem Aristobuli vxorem suam cum duobus propriis filiis adolescentibus, & focrum suæ vxoris matrem crudelissimè interemit. Unde Augusti de eo dictum: *Malise Herodis porcum esse quàm filium*, quod sciret porcos à Iudæis intactos esse, quos non ederent. Id tamen dictum alii referunt ad tempus cædis Innocentium, cum quibus etiam proprium filium dicitur occidisse.

Macrob. 2. Saturn. 4.

ANNUS MUNDI 4048.

ANTE CHRISTUM 5.

URBIS CONDITÆ AN. 747.

ÆMONÆ CONDITÆ AN. 1218.

Confecto Germanico, & Pannonico bello Romam reversus Tiberius de Vindelicis & Pannoniis triumphavit. De his bellis plura simul complexus diverforum annorum Suetonius: Ex hinc Rhæticum atque Vindelicum, inde Pannonicum, inde Germanicum gessit. Rhætico atque Vindelico gentes Alpinas: Pannonico Breucos & Dalmatas subegit & c: quas ob res & ovans, & curru urbem ingressus est: primus (vt quidam putant) Triumphalibus ornamentis honoratus, novo, nec antea cuiquam tributo genere honoris. De Armeniis eodem tempore triumphasse Tiberium habet ad sequentem annum Marianus Scotus.

Sueton in Tib. c. 9. Marian. Scot.

ANNUS MUNDI 7049.

ANTE CHRISTUM 4.

URBIS CONDITÆ AN. 748.

ÆMONÆ CONDITÆ AN. 1219.

Augustus tametsi honorum factur, vt Caio Cæsari annos sedecim nato, maiore Pompâ, & glo-

gloriâ amplissimo fungens Magistratu prætextam demeret, eumque virili togâ ornaret, hoc anno Consulatum suscepit. Interim Tiberius Nero duobus Consulatibus, totidemque triumphis honoratus, ne fulgor suus orientium juvenum obstaret initiis, dissimulatâ causâ confilii, commeatum ab focero, eodemque vitrico, quiescendi à continuatione laborum petiit, eoque impetrato Rhodum abiit, vbi modicis contentus ædibus, nec multò laxiore suburbano, genus vitæ civile instituit sine lictore aut viatore gymnasia interdum obambulans, mutuaq; cum Græcis officia vsurpans propè ex æquo. Sensit terrarum orbis (inquit Velleius) digressum à custodia vrbis Neronem: nam & Parthus desciscens à societate Romana adjecit Armeniæ manum, & Germania averfis domitoris sui oculis rebellavit. Tanti interest magnis Principibus non arcere vel dimittere ab Aulis, quorum ope res publica fulciebatur. Aliquot tamen intercesserunt anni inter Parthicam & Germanicam revolutionem.

ANNUS MUNDI 4052.

ANTE CHRISTUM vltimus.

URBIS CONDITÆ AN. 751.

ÆMONÆ CONDITÆ AN. 1222.

ADventurus in mundum Dei filius omnium author prodigiorum, prælusit Nativitati suæ multis prodigiis. Pacato orbe vniverso Jani portas clausit Augustus, & Dominum se compellari severè inhibuit, quæ de re Author Miscellæ: Clausis Jani portis Rempub. quam bello quæsierat pace nutrire & amplificare studens leges plurimas statuit, per quas humanum genus liberâ reverentiâ disciplinæ morem gereret. DOMINI appellationem vt homo declinavit. Nam cum eo spectante ludos pronuntiatum esset à Mimo: *O Dominum æquum & bonum!* vniversique quasi de ipso dictum esset,

A. exultantes approbavissent, statim manu vultuque indecoras adulationes repressit, & insequenti die gravissimo corripuit interdicto: DOMINUM se posthac appellari, ne à liberis quidem aut nepotibus suis, vel seriò vel joco passus est. Decuit fanè DOMINI appellationem Dominorum DOMINO reservare. Præter hæc circulus ad cælestis arcus speciem sereno tempore apparuit solis orbem ambiens. Templum Palladis miræ structuræ Romæ corruit, juxta oraculi vaticinium, tunc ruiturum cum Virgo pareret. Fons olei largissimus vsque in Tyberim tota die fluxit. Augustus triginta millia servorum Dominis suis restituit, viginti sibi retinuit; sex millia, quorum Dominium non extabat, in crucem egit, præludens successorum Tyrannidi. Idem Augustus debita & tributa populo dimisit, ac demum edixit vt describeretur vniversus orbis. Alia sed antiquiora, & quæ dudum evenerunt prodigia latius apud Baronium deducta reperies. Quod ad censum & descriptionem orbis vniversi attinet, dubium versant scripturæ interpretes, quomodo Tertullianus antiquissimus scriptor pro Quirino seu Cyrino Præsidente, à quo census in Syria exigi est iussus, posuerit Sentium Saturninum, & putant aliqui censum à Quirino inchoatum, à Saturnino finitum, alii verba Lucæ Evangelistæ sic legenda censent: *Hæc descriptio prius facta est, quàm præsideret Syria Quirinus.* Cæterum per omnes Romanas Provincias viginti probatissimæ vitæ viros emissos tradit Suidas, additque repertos esse quadragies & semel centena millia, mille, & septendecim Romani Imperii incolas. Quæ in re Suidas errasse existimatur, cum hic numerus solam Romanam urbem concerneret, vt habetur ex Chronico Eusebii. Vnde Cariophilus apud Andream Eudæm. putat scriptum fortè à Suida non quadragies, sed quadringenties centena millia, sive vt nunc supputare

Sueton. in Ostay. Orof. l. 6 c. 18. Dio l. 45. & 47. Plin. l. 2. c. 31. Euseb. in Chron. spon. in Appar.

Tertull. l. 4. cont. Marc. cap. 10.

Suidas v. Augustus.

Euf. in Chron. Carioph. ap. Eudæm l. 2. defens. Baro. c. 3. Lips l. 2. de magnit. Rom. c. 3. spond. in Appar. n. 23.

putare solemus quadraginta milliones. Verùm neque hic numerus satisfacit Spondano, nisi intelligatur de solis viris ad arma habilibus. Lipsius certè locum illum Suidæ examinans censet, emendare illum nonnisi ejus esse, qui divinandi artem certò teneat. Nobis hæc obiter attigisse sufficiat. Addit Baronius, & ex eo Spondanus, solem inter tres circulos effulxisse, quorum vnum ignita spicarum Corona circumdabat. Tres item Soles simul visi sunt. Augustus ab oraculo Delphico obmutescente, quod consulebat, audiit:

*Me puer Hebræus Divos Deus ipse gubernans
Cedere sede jubet, tristemq; redire sub Orcum
Aris ergo debinc tacitus discedito nostris.*

Quo responso accepto Romam reversus in Capitolio Arā erexit cum inscriptione **ARA PRIMOGENITI DEI.**

A. Hæc ara putatur fuisse vbi nunc Ecclesia B. V. dicta *Ara Cæli*: quamvis alii tradant eo loci ab Augusto in cælo visam Virginem, quæ puellum in vlnis gestabat.

Spond. in Appar.

Nunc ergò pacatus orbis Regem seculorum expectabat, ad cuius mirandum in terras adventum, æquum erat vt ponerent arma Reges terræ, & terreni Principes, suos fasces submitterent Principi Pacis. Nos etiam hic calamum reponimus, enarratis, quæ vsque ad Natalem fervatoris nostri occurrebant actis & eventibus Carniolie nostræ, si-ve potius sub antiquis nominibus Celticæ, Japidie, Istriæ, Norici, Pannoniæ, Carniæ &c: resumpturi (si cælites annuerint) cum prædicto Natali. Adfit propitius *Rex seculorum Princeps Pacis.*

FINIS PARTIS II.

